

www.e-rara.ch

Theologia Mariana

Sedlmayr, Virgil

[München], MDCCLVIII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ro 473 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-67881>

Quaestio I. De sancto Josepho beatae virginis sponso.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PARS II.
 DE
BEATA VIRGINE
 PRO STATU
CHRISTUM CONCOMITANTE.

QUÆSTIO I.
 DE
 SANCTO JOSEPHO BEATÆ VIRGINIS SPONSO.

ARTICULUS I.

Quo Parente natus sit S. Josephus?

N. 893. **O**bservo, difficultatem in eo esse sitam, quòd Evangelistæ Matthæus, & Lucas diversos progenitores assignent, nam Matth. cap. 1. sic legitur, *Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, & Luc. 3. refertur: Joseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat, quo sensu juxta Matthæum Joseph fuit filius Jacob, & juxta Lucam filius Heli, ex qua apparenti dissonantia Porphirius, & Julia-*

nus Apostata ansam sumpserunt blasphemandi, & Evangelistas erroris, ac falsitatis arguendi, cum tamen id divino afflato spiritu fecerint, ut Judæos argumento quasi ad hominem convincerent ad credendum, Christum esse verum Abrahami, & Davidis filium, quia dum eum habebant tanquam verum, ac proprium Josephi filium, duxerunt genealogiam Josephi unus à Patre, Avis, & Proavis naturalibus; alter à legalibus. Quo observato

N. 894. Dico. Pater Josephi naturalis est Jacob à Matthæo laudatus, & Pater legalis est Heli à Luca memoratus. Ita antiquissima, & communis Patrum sententia omnibus aliis, quæ referri solent, merito præferenda, & in ipsa Ecclesiæ traditione fundata, tradunt enim eam secundo post Christum natum sæculo S. Justinus Martyr in lib. Quæst. quæst. 131. post Justinum ineunte sæculo tertio eam tenet Julius Africanus apud Eusebium lib. 1. Hist. Eccles. cap. 7. qui simul contestatur in Epist. ad Aristidem se à Christi cognatis hanc sententiam accepisse, quòd scilicet Matthæus Christi progenitores secundum naturam recenset, & Lucas secundum legem, & idè in hanc sententiam conferto agmine conspirant Patres S. Hieronymus comment. in cap. 1. Matth. S. Gregorius Nazianzenus in carmine de Christi genealogia. S. Ambrosius lib. 3. in cap. 3. Luc. S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 7. & 12. licèt priùs dubitasset. Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 15. Euthymius in cap. 3. Luc. Nicephorus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 11. S. Bonaventura in cap. 3. Luc. S. Thomas 3. p. q. 31. a. 3. ad 2. D. Anselmus, Beda, Theophilactus, Salmeron, Maldonatus, Toletus, Barradius, Vasquez, Sylveira, & alii innumerum veteres, tum recentiores, ut adeò hæc sententia merito in antiquitate, traditione, & consensu Patrum, & Doctorum præponderet.

N. 895. Probatur etiam ex eo, quòd hæc assertio apparentem dissonantiam Evangelistarum optimè & cum proprietate verborum conciliet, nam Matthæus, cum utatur verbo *genuit*, insinuat hoc ipso verbo progenitores naturales. Lucas verò, quia utitur verbo substantivo *fuit*, quod æqualiter aptum est ad significandam filiationem legalem, & naturalem, salva proprietate verbi exponi potest de filiatione, & paternitate legali, & sic exponi debet, quia filiationem naturalem per Heli prohibet textus Matthæi, & simul scriptura in proprietate accipienda, adeoque in altero sensu legali in verbo *fuit* æquè comprehenso. *Confirmatur* ex lege Deut. cap. 25. v. 5. ubi præceptum exstat, ut fratris sine liberis mortui uxorem frater superstes ducat, & ex ea fratri defuncto semen suscitet, seu filium generet, qui filius secundum naturam tribuendus est fratri superstiti, secundum legem autem computandus est etiam tanquam filius fratris demortui, quod ad proprietatem scripturæ salvandam evenisse dicimus in casu nostro, ubi Mathan filius Eleazari de stirpe Salomonis conjugem habuit Jescam, ex qua præter Joachimum, de quo supra in tabula genealogica B. Virginis genuit Jacob, & mortuo Mathan Jescam Marito viduatam sibi despondit Mathat filius Levi de stirpe Nathan, & ex ea ipse etiam suscepit filium nomine Heli, ut adeò Jacob, & Heli fratres uterini fuerint ex una Matre Jesca, & duobus Pa-

Bbb 3

tribus

tribus Mathan, & Mathat prognati, quorum alter nempe Heli, cum sine liberis esset mortuus, Jacob ex legis scripto, ut fratri defuncto semen suscitaret, duxit uxorem ejus, & ex ea genuit Josephum Mariæ Sponsum, qui cum erat primogenitus, manebat quidem filius Jacob secundum naturam juxta Evangelium Matthæi, secundum legem tamen simul filius Heli fuit juxta Evangelium Lucæ.

N. 896. Objicies *primò*. Lex ista Deut. 25. lata est de fratribus habitantibus simul. Ita enim sonat: *quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israhel.* Sed Jacob, & Heli, cum diversos Patres habuerint, non habitaverunt simul: ergo de his non est intelligenda lex. Respondeo *primò*. Ex P. Serrii Exercit. 42. num. 3. verbum *Jasub*, quod exstat in textu, non significare simultatem loci, sed temporis, quatenus idem est, ac simul in vivis esse, quod de Jacob, & Heli indubium est. Respondeo *secundò*. non posse legem intelligi in sensu nimis stricto de habitantibus tantum in una domo, quia secus nimis multa familiæ debuissent esse in eadem domo, & exemplo S. Scripturæ, uti ex lib. Ruth. cap. 4. contrarium constat, habitatio autem in diversis domibus & locis non obest in Jacob, & Heli.

N. 897. Objicies *secundo*. Ex lege Deut. debebat Primogenitus ex secundo matrimonio natus prioris Mariti nomine vocari, ut verba ista insinuant: *primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Sed Jacob filium ex uxore sua genitum non vocavit Heli, sed Joseph: ergo hæc lex locum hic non habet. Respondeo, non esse hoc intelligendum de ipsa nominis impositione, quasi filius ex secundo matrimonio natus debeat appellari prioris Mariti nomine, nam filius Ruthæ natus ex matrimonio cum Booz non fuit vocatus nomine prioris mariti Chelion, sed Obed, sensum ergo lex habet, quod primogenitus ex ea vidua natus debeat reputari pro hærede prioris mariti, & sic memoriam, & nomen ejus conservare non tam nuncupatione nominis, quam hæreditatis, & familiæ.

N. 898. Objicies *tertiò*. Cornelius à Lapide in cap. 3. Luc. v. 23. ait, quod dicta lex Deuteronomii jubens fratris sine liberis defuncti suscitare semen, non loquatur de fratribus uterinis, sed de germanis ex eodem Patre prognatis, qui soli retinent nomen, & hæreditatem paternam, sed Jacob & Heli non erant fratres germani ex utroque Parente, sed tantum uterini ex eadem matre: ergo illos, non attingit lex Deuteronomii. Respondeo, legem illam Deuteronomii non solum ad germanos fratres, sed etiam ad reliquos propinquos, qui passim in scriptura fratres vocantur, spectasse cum hoc tantum discrimine, quod fratres germanos sub pœna ignominiosæ ex-

calceationis, & conspuitiois obligarit, ut habetur Deut. 25. v. 9. contra reliquos propinquos obligarit minus strictè ex quadam honestate, & nisi jus suum alteri propinquo cedere velint, ut expressè constat ex Booz, qui non fuit frater germanus ipsius Chelion prioris mariti Ruthæ, sed tantum propinquus in gradu remotiori, cum juxta Ruth cap. 2. expressè alteri propinquiori cedere voluerit.

ARTICULUS II.

Utrum S. Joseph fuerit proximus consanguineus Jesu, & Mariæ?

N. 899. **O**bservo, sermonem nobis esse de consanguinitate tam propinqua, quàm propior esse non possit, non potest autem esse consanguinitas in primo gradu, quia Joseph non est carnalis Pater, frater, aut filius Jesu, & Mariæ. Neque potest esse in secundo gradu respectu Jesu, quia non est avus Jesu, nec nepos ejus quocunque sensu, cum aliàs Pater ejus jure conjugii esse non posset. Quæritur ergo an sit consanguineus Jesu in tertio, & Mariæ in secundo gradu? ad quod

N. 900. Dico. S. Joseph est consanguineus Jesu in tertio, & Mariæ in secundo gradu. Ita communis sententia, quamvis non ex eadem consanguineorum serie deducatur. Probatur autem ex arbore genealogica superius stabilita, nam ibi diximus, & probavimus; quòd S. Joachimus Pater B. Virginis sit filius Mathan frater Jacobi, qui Pater naturalis est Jo-

sephi, adeoque Mathan est utriusque Mariæ, & Josephi stipes sub nomine avi, & sic sunt in secundo gradu consanguinei, & hoc ipso Josephus est cum Jesu in tertio, quia computatio fit per gradum à stipite remotiorem, Mathan autem licèt respectu Josephi sit in gradu secundo, à Jesu tamen est in tertio.

N. 901. Probatur *secundò*, ex lege Numeri cap. ult. v. 7. ubi cautum fuit, ne fœminæ bonorum paternorum hæredes nubant extra suam Tribum, & familiam, ne scilicet bona & possessiones mediantibus nuptiis de Tribu in Tribum aut de familia, in familiam devenirent: est autem communis traditio, B. Virginem fuisse suorum parentum prolem unicam, & hæredem: ergo debebat vi legis uni nubere, qui non solum esset consanguineus remotè ex eadem Tribu, sed & proximè ex eadem familia, adeoque Joseph est cum Jesu, & Maria in gradu tam propinquo, quo esse potest consanguineus.

N. 902. Objicies. Graves Authores docent, uti Joannes lucidus, Joannes Annæus, Petrus Galatinus, Jansenius, Driedo, Suarez, Cornelius à Lapide, quòd Heli ab Evangelista Luca nominatus cap. 3. fuerit ipse Pater B. Virginis Joachimus, quia Heli per Apocopen idem est, quod Eliachim, seu Joakim, uti constat ex 4. Reg. cap. 23. & 2. Paralip. cap. 36. Judith 4. v. 11. & ideò quando Evangelista Lucas dicit, *Jesu, qui putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, relativum qui refe-

referendum est ad *Jesum*, ita ut sensus sit, *Jesum esse filium Heli*, seu *Joachim* mediatum, nempe mediante *Maria*, & sic vi hujus genealogiæ *Joseph* non est consanguineus *Jesu*, & *Mariæ* quoad lineam maternam *Joachimi*, cum nihil ad ipsum pertineat, neque quoad lineam maternam *S. Annæ*, quia per hanc *B. Virgo* est de genere *Sacerdotali*, in quo non scitur esse *S. Joseph*. Respondeo primò, his authoribus utut gravibus à nobis suprâ & antiquiores, & graviores opponi, qui de contrario systemate quasi traditionem Ecclesiæ præferunt, & administrant. Respondeo secundò, hoc Systema in multis deficere. Primò, quia *Heli* non est idem, quod *Eliachim*, vel *Joakim*, nam *Heli*, significat idem, quod *oblatio*, *Eliachim* idem, quod *Dei resurrectio*. Ut habet interpretatio, quæ est in calce Bibliorum, imò ut probat *Vasquez tom. 2. ad 2. p. disp. 127. cap. 4. num. 40.* juxta radicem hebraicam, & græcam *Joakim* nullatenus per *Apocopen* dici potest *Heli*: deinde in toto genealogiæ contextu à *Luca cap. 3.* descripto semper relativum qui denotat personam ultimò nominatam tanquam Patrem immediatum: ergo pariter in his, *Jesus qui putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, relativum qui appellat super *Joseph* tanquam personam proximam, sicut in sequentibus super *Heli*, non est idem, quod *Joachimus* tanquam Pater *B. Virginis*, sed hic manet filius *Mathan*, & inde in gradu secundo consanguineus cum *B. Virgine*.

ARTICULUS III.

Utrum Christo Domino competierit jus succedendi in bona S. Josephi, & in jus ad Regnum Judaicum.

N. 903. **O**bservo, quod forum externum attinet, videri rem indisputabilem, quòd *Christo* conveniat jus succedendi in bona *Josephi*, quia in hoc foro ille censetur Pater obligatus ad deferendam hæreditatem filio, quem justæ nuptiæ demonstrant esse Patrem, sed justæ nuptiæ demonstrant *Josephum* esse Patrem respectu *Christi*: ergo in foro externo *Josephus* tanquam Pater est obligatus ad hæreditatem *Christo* deferendam, & *Christus* habet jus succedendi in bona *Josephi*, & per consequens supposito, quod jus Regni, & Sceptri *Judaici* fuerit penes *S. Josephum*, ut quidam volunt ex vi genealogiæ per *Matthæum* deductæ, tum per *Josephum* transit ad *Christum*, & hoc imprimis pro foro externo. Quo notato

N. 904. Dico *Christo Domino* convenit jus succedendi in bona *Josephi* etiam in foro interno. Ita *Suarez 3. p. q. 29. Sect. 1.* *Cornelius à Lapide* in cap. 1. *Matth.* & alii. Probatur primò ex *S. Justino Martyre* in lib. quæst. ad *Orthodoxos* quæst. 133. *efficit divina gratia, cum credimus Christum filium esse Joseph, nec tamen ex eo natum secundum naturam, ut enim Josephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divina legi sic visum est*

Deo

Deo ex uxore Josephi dare filium Josepho non genitum secundum naturam ex ipso. Quibus verbis præclare deducitur, quod sicut Joseph est filius Heli legalis, & inde juxta legem hæres ipsius, licet secundum naturam non sit filius Heli, sed Mathan, ita etiam Christus Dominus sit ex voluntate Dei tanquam supremi legislatoris filius legitimus ipsius Josephi, & inde hæres ejus, licet secundum naturam ab ipso non descendat.

N. 905. Probatur secundò. Licet Christus non sit conceptus ex semine Josephi, est tamen conceptus ex fundo Josephi, quia maritus est Dominus corporis uxoris, & hoc non illegitimè, sed omninò legitimè ipsa Dei virtute omnem legem habentis in sua potestate hæc operante: ergo est proprius, & legitimus Josephi, & habet proinde jus tanquam legitimus hæres in bona Josephi. *Confirmatur.* In lege antiqua potuit frater fratris ob sanguinis conjunctionem supplere vices, & ei jam defuncto suscitare semen & hæredem ex uxore superstite: ergo id ipsum potuit etiam præstare Deus Josepho adhuc viventi ex conjugæ suæ legitima procreando filium, & hæredem, cum Deus & virtutem operativam Josephi, & ipsam legem in se contineat.

N. 906. Probatur tertio. Christus non habet tantum titulum originis ex fundo Josephi, sed habet insuper titulum adoptionis saltem tacitæ cum publica fama, quod sit filius secundum carnem, sed hæc simul conjuncta necessariò operantur effectum juris

ad succedendum: ergo Christus habet jus ad succedendum in bona Josephi. maj. prob. S. Josephus Christum ab incunabulis ex Dei voluntate assumpsit ad alimentationem, & omnia subsidia vitæ humanæ necessaria subministranda, & velut proprio naturali filio fidelissimè præstitit, sed hoc est saltem tacitè adoptare, quia adoptio nihil aliud est, quàm assumptio in filium, & licet hæc de jure Romano requirat certas solemnitates, non requirit tamen de jure naturali, & gentium aliud, quàm ut quis alium assumat in filium, quod S. Joseph revera præstitit, uti testatur Deipara Virgo. *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te Luc. 2.* & Christus se pro filio habuit: *erat subditus illis ibid.* ergo Christo Domino competit jus hæreditarium in bona Josephi quæcunque.

N. 907. Objicies primò. S. Josephus non habuit jus Sceptri ad Regnum judaicum, cum S. Joachim, quem supra diximus esse filium primogenitum Mathan, illud jure primogenituræ participaverit: ergo per S. Josephum non potuit devolvi jus Sceptri ad Christum, & sic iste non potuit hac via succedere Josepho in jure Regni judaici. *Respondeo,* jus Sceptri ad Regnum judaicum esse Christo adjudicandum titulo Nativitatis juxta illud: *ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2.* & ideò superius diximus, Christo competere jus Sceptri, quia natus est ex Maria Virgine, quæ habuit jus Sceptri per Joachimum Patrem, cujus unica filia erat, & hæres,

res, sed quia hæc via non est omnimodè certa, nec ex ipso Evangelio explicitè rata, ideò ex supposito, quod hæc via non foret vera, damus alteram, qua dicimus, quod Christus sit filius Josepho natus ex Maria Virgine tanquam ex fundo proprio virtute Spiritus S., & quod hoc modo etiam vi Nativitatis per S. Josephum hæreditaret jus ad Regnum judaicum, quod vim habet saltem ex fama publica, qua Christus à Judæis credebatur filius Josephi secundùm naturam, & ideò Evangelistæ ex impulsu altiori Judæos convincere voluerunt de hoc, quòd Christus sit habendus tanquam filius David, & hæres Sceptri judaici, quia est filius Joseph.

N. 908. Objicies *secundò*. S. Joseph non videtur habuisse jus ad Regnum, etsi daremus, quod Jacob non Joachim fuerit primogenitus filius Mathan, quia Joseph, etsi fuerit filius naturalis Jacob, fuit tamen simul filius legalis Heli, & ideò hæres ipsius Heli, non ipsius Jacob: ergo per Joseph non potuit jus Regni devolvi ad Christum. *Respondeo*, Josephum fuisse primogenitum filium Jacobi, & unicè ab Evangelio nominatum, quamvis aliunde etiam constet habuisse fratrem nomine Cleopham. Primogenitus autem, ut expressè constat ex lib. 4. Ruth c. 4. non erat necessitatus ad renuntiandum juri primogenituræ in bona Patris naturalis, & poterat liberè, si vellet, adire hæreditatem Patris legalis, licèt ergo S. Joseph fuerit filius legalis Heli, non constat tamen, quòd

hæreditatem ejus adjerit, minus constat, & verisimile prorsus non est, quòd jure ad Regnum judaicum, si re ipsa habuit in vi primogenituræ, se exuerit, & quia se exuisse non constat, præsumitur, quòd ad Christum re ipsa transtulerit in hypothesi, quòd habuerit.

ARTICULUS IV.

Utrum S. Joseph sit verus Maritus Mariæ cum omni proprietate ad verum Maritum pertinente?

N. 909. **O**bservo, non solum Hæreticos, sed etiam quosdam esse inter Catholicos, qui negant Josephum esse verum Maritum Mariæ cum omni proprietate ad verum Maritum pertinente, sic Gratianus dist. 27. q. 2. Canone *quid autem* id expressè defendit, sed utitur ratione, quæ error est in fide, quia putat essentiam matrimonii consistere non posse sine copula carnali, quod pugnat, contra Tridentinum dividens Matrimonium in ratum, & consummatum, quod si aliquis contendat, ad matrimonium de necessitate requiri expressum consensum in copulam, hoc rursus error est in Concilio Constantiensi Sess. 8. inter errores Wicleffi damnatus: putant tamen Medina lib. 5. de continentia cap. 61. & Canisius lib. 1. de B. Virg. cap. 5. §. *imò vero*, utramque hanc partem posse liberè defendi, quòd S. Joseph sit, & non sit propriè dictus maritus. Contra quos

N. 910.

N. 910. Dico. Probabilius de fide est, quod S. Joseph sit verus Maritus Mariæ cum omni proprietate ad matrimonium ratum spectante. Ita Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 7. Sect. 1. Fonseca in vita Christi cap. 9. P. Morales in Matth. lib. 2. tract. 3. num. 8. & alii plures. Probat^{ur} primò. Allegando loca S. Scripturæ; nam Matth. 1. v. 16. dicitur. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ.* & v. 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus.* Et sic dicitur Joseph Mariæ *vir*, quod est proprium nomen Mariti, similiter B. Virgo vocatur *uxor*, & *conjug*, quæ sunt nomina propria veræ uxoris & conjugis, nam Matth. 1. v. 20. habetur. *Joseph noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* & eodem cap. v. 24. *Joseph accepit conjugem suam,* & rursus Luc. 2. v. 5. *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore,* quæ omnia in sensu proprio accepta, in quo verba scripturæ teste S. Augustino de gen. ad litteram cap. 1. & 7. & S. Basilio hómil. 9. in Hexameron per se sumenda sunt, significant matrimonium propriè sumptum, & quia etiam SS. Patres communi sensu hæc accipiunt de matrimonio rato solum excipientes matrimonium consummatum, ideò vix dubitari potest, quòd sit res omninò de fide, quod S. Joseph sit in omni proprietate Maritus Mariæ.

N. 911. Probat^{ur} secundò. SS. Patres ex professo refutant hæreticos, Josephum habentes tantum pro marito putatitio, nam S. Augustinus lib. 5. contra Julianum asserentem, quòd Evangelista

tantum loquatur ex opinione vulgi qua Maria, & Joseph putantur esse conjuges: *nec putemus Evangelistam id facere potuisse, cum vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem populi loqueretur, sed nunquid Angelus loquens unus ad unum contra conscientiam suam & ipsius, cui loquebatur secundum opinionem potius, quam secundum veritatem fuerit locutus? cum dixit, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ubi S. Augustinus expressè tuetur, Mariam, & Joseph non esse conjuges putatitios, & in æstimatione vulgi tantum, sed veros in vi tamen matrimonii rati, ut exponit S. Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 6. dicens: *desponsato viro conjugis nomen accepit, cum enim initiatur conjugium, tunc conjugis nomen asciscitur, non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.*

N. 912. Probat^{ur} tertio, ex Evangelio S. Matthæi cap. 1. ubi describitur generatio Christi per progenitores S. Josephi, sed si Josephus non esset conjug, & vir propriè dictus, non potuisset progenies Christi ex illo duci, quia nec carne, nec jure conjugii foret Christi Pater: ergo Joseph est verus conjug. Nec putes, Josephum tantum dici Patrem putatitium Christi, & per consequens posse etiam dici conjugem putatitium Mariæ, quia contra est, quòd tantum dicatur Pater Christi putatitius secundum carnem, & sic etiam dici tantum possit conjug putatitius matrimonii consummati, non rati, quia spectando matrimonium ratum inter Mariam & Josephum,

sephum, dicendus est Josephus & Pater, & conjux verus, non putativus, secus ex vero progenies Christi duci non posset per Josephum.

N. 913. Probatur *quartò*. Inter alias causas, cur B. Virgo fuerit matrimonio copulata, ponitur etiam hæc: *ne lapidaretur ut adultera*, si nempe inveniretur prægnans sine legitimo viro, & conjuge: ergo debuit Josephus legitimus vir esse, & conjux, nec ad hoc sufficit præcisè pactum ad mutuo cohabitandum, quia stante hoc tamen haberetur pro adultera, hoc ipso quòd defuisset vera ratio matrimonii, & de conceptione per obumbrationem Spiritus S. nemo quidquam sciverit, ipse etiam Josephus non potuisset dici voluisse ipsam occultè dimittere ob hoc, quia *justus erat*, ipse etiam timere debuisset, ne lapidaretur, quia secluso vero, & publico conjugio debuisset fieri suspectus propter cohabitationem cum illa prægnante, & denique cur dixit Angelus: *noli timere accipere Mariam conjugem tuam?* si non fuisset vera conjux, non potuisset Joseph velle dimittere, quia nemo dimittit, quod non habet, & Angelus non veraciter Mariam vocasset conjugem, si non esset.

N. 914. Probatur *quintò*, ex quatuor illis causis à S. Thoma 3. p. q. 29. a. 1. receptis, ob quas censetur matrimonio copulata, ex quibus *prima* est, ne Christus ab infidelibus abjiceretur tanquam illegitimè natus. *Secunda*, ut per genealogiam potuerit Christus probari tanquam verus filius David. *Tertia*, ut à S. Josepho nutriretur tan-

quam Patre jure conjugii legitimo. *quarta*, ut partus celaretur diabolo, quæ omnes causæ requirunt, ut Joseph sit verus, & proprius conjux. *Prima* quidem, quia absente veritate matrimonii potuisset Christus verè ab infidelibus abjici tanquam illegitimus. *Secunda* verò, quia non nisi ex vero, & proprio conjugio confici potest vera genealogia uxoris & filii. *Tertia* etiam, quia non nisi verus conjux est obligatus ad alimenta Matri, & filio præstanda. *Quarta* denique id requirit, quia pariter non nisi vero conjugio partus celari rectè potuit diabolo, quatenus nempe per hoc averti potuit à curiosa investigatione, num iste partus sit virgineus, & inde veri Messias, nam licet diabolus omnia naturalia habitualiter sciat, impeditur tamen tum à poena sua, qua alligatur ad miseriarum suarum considerationem, tum ab ordinario modo causarum secundarum, qualis est, quod inter conjuges partus non sit virgineus, ne curiosius veritatem vestiget, & ad eam perveniat, & ideò planum est, quòd ob dictas causas debuerit esse verum conjugium inter Mariam, & Josephum.

N. 915. Objicies *primò*, Vasquez 3. p. q. 29. disp. 125. cap. 3. nostram assertionem quidem habet pro adeò certa, ut opposita sit nota saltem temeritatis digna, non putat tamen esse de fide, quia licet ex scriptura haud obscurè eruatur, Patres tamen variè de hac re sentiunt, & ideò manifestus fidei articulus nondum videtur esse.

Respondeo, nos in nostra conclusione limitatè loqui, & Vasquezio in tantum deferendum esse censemus, quod ipsimet asseramus, sententiam nostram nondum esse articulum fidei ab Ecclesia definitum, vel omninò manifestè, & irrefragabiliter in scriptura expressum, ut absol. è ab omnibus ex necessitate præcepti debeat credi, esse tamen respectivè, & probabilius de fide, quemadmodum de fide esse dicitur Immaculata conceptio, vel quod hic numero Pontifex sit verus Christi vicarius, quia id rationes nostræ pro conclusione adductæ, & absurda, quæ ex opposito sequerentur, satis evincunt, neque SS. Patres reipsa sunt contrarii, quia hi solùm negant matrimonium consummatum, non ratum.

N. 916. Objicies secundò, S. Hilarius in cap. 1. Matth. ait: quòd B. Virgo fuerit nuncupata potius Mater Christi, quia id erat, non uxor Josephi, quia id non erat. Et S. Petrus Chrysológus Serm. 175. de S. Josepho inquit. Joseph ille maritus solo nomine, conscientia Sponsus: ergo SS. Patres videntur esse contrarii. Respondeo, quod quia matrimonium est duplex, ratum, & consummatum, idèd nomina uxoris, & mariti etiam dupliciter accipi, in matrimonio rato uxor, & maritus nuncupantur ex copula conjugali, quæ est pura desponsatio per verba de præsentis, quo sensu intelligenda sunt verba Luc. cap. 2. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. In matrimonio econtra consummato Uxor, & maritus nominantur ex copula carnali,

seu ex cognitione uxoris, & consummatione matrimonii, quo sensu S. Hilarius dixit de B. Virgine: non uxor nempe carnaliter cognita, vel conjuncta. Et S. Petrus Chrysológus de S. Josepho, maritus solo nomine quoad copulam nempe carnalem, in quantum putabatur uxorem suam cognovisse, & ex ea Christum genuisse, per quod tamen S. Pater non negat Josephum esse verum maritum, quia expressè ait: conscientia verò Sponsus, nempe de præsentis seu Sponsus matrimonii rati.

N. 917. Objicies tertid. S. Hieronymus in cap. 1. Matth. v. 16. etiam nuptias negat inter Mariam, & Josephum dicens: cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, quod Sponsi viri, & Sponse uxores vocentur. Idem docet S. Gregorius M. homil. 26. in Evangel. inquitens. habere Mariam Sponsam voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit: ergo quia sine veris nuptiis non est verum matrimonium, hoc non intercessit juxta hos SS. Patres. Respondeo uti priùs. Quod quia matrimonium est duplex, unum ratum, & alterum consummatum, idèd etiam nuptiæ, quæ coincidunt cum matrimonio, sunt duplicis generis, ratæ per copulam conjugalem, & consummatæ per copulam carnalem, quo sensu S. Hieronymus monet, ut cum virum audieris S. Josephum, tibi non subeat suspicio nuptiarum congressu carnali consummatarum, sed recordare, quod Sponsi de præsentis viri, & Sponse de præsentis uxores vocentur, ma-

trimonii nempe rati, idem sensus est in textu S. Gregorii M. dicentis, quod S. Josephus sit sponsus, qui ad nuptias consummatas non pervenit.

N. 918. Objicies quartò. S. Augustinus lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. 26. inquit: *matrimonium ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat scemina nubere, quàm ut mater fiat.* Sed B. Virgo non nupsit ea intentione, ut Mater fiat, seu ut liberos procreet, cum ad Angelum dixerit: *quomodo hoc fiet, quoniam virum non cognosco?* ergo non fuit Josepho conjuncta per verum matrimonium. Respondeo, S. Augustinum in hac Ethymologia attendisse ad id, quod in matrimonio communiter intenditur tanquam effectus, non tamen per hoc voluisse, quod animus utendi conjugio ad suscipiendos liberos sit de substantia vel ratione essentiali ipsius matrimonii, cum hoc possit iniri quàm ratum tantum, quod ipse S. Augustinus declaravit refutando in hoc Julianum lib. 5. contra ipsum cap. 9. & lib. 2. de consensu Evangel. cap. 1. dicens: *Etiam servata pari consensu continentia potest permanere, vocarique conjugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

N. 919. Objicies quintò. Si mutus consensus ad continentiam in pacto deducitur sub hac formà, *contraho tecum, si mecum continentiam servas*, matrimonium est nullum ex communi sententia, sed ita videntur contraxisse Maria, & Joseph: ergo matrimonium inter ipsos est nullum: Respondeo. Majorem esse veram ex ra-

tionem, quòd tale pactum tollat jus mutuum in corpora, quod est de substantia matrimonii, hinc nullo fundamento dicitur, quòd B. Virgo, & S. Josephus cum tali pacto matrimonium inierint, sed ipsi voluerunt inire verum contractum matrimonialem, vi cuius sibi invicem darent jus mutuum in corpora, & forent ex justitia obligati ad servandam fidem, & ad vitandam copulam extra proprium thorum, interim erat saltem B. Virgo certificata divinitus, ut S. Thomas docet in 4. dist. 30. q. 2. a. j. quæstiunc. 2. ad 2. quòd S. Josephus non sit petiturus debitum, & sic stante suo voto potuit inire matrimonium dando Josepho jus in suum corpus, cuius usum ille nunquam sit petiturus, instantia est inter conjuges jam contracto matrimonio votum continentie emittentes.

ARTICULUS V.

Utrum S. Josephus non solum maritus sed & virgo fuerit?

N. 920. **O**bservo, S. Josephi virginitatem impugnari à variis, nam imprimis eam invadit Helvidiana hæresis, quæ jam sæculo IV. asseruit, Josephum illos liberos ex Deipara post Christum in virginitate natum genuisse, qui in Evangelio vocantur fratres Domini, quam hæresim quidam Hispani sæculo VII. resuscitarunt, quos confutavit D. Ildephonsus noster Toletanus Episcopus; nostra verò ætate ministri Calviniani passim hanc Helvidii blasphemiam fidei non repugnantem

tem existimant. Sunt verò etiam Catholici, qui sic dictos fratres Domini Josephi filios esse asserunt, non tamen ex Deipara Virgine, sed ex alia priore uxore susceptos, qua defuncta Josephum quàm bigamum matrimonio fuisse junctum Deiparæ asserunt D. Epiphanius hæresi 78. S. Gregorius Nyssenus, D. Hilarius, D. Ambrosius, Origenes, Theophilactus, Euthymius, Eusebius Cæsariensis, & Nicephorus Calixtus apud Joannem de Carthagena lib. 4. homil. 3. num. 9. verùm alii gravissimi Patres gloriosius de S. Josepho sentiunt, cum quibus

N. 921. Dico primò. S. Joseph nunquam carnaliter cognovit Deiparam virginem. Est de fide Catholica ex supra dictis, & probatur primò ex omnibus illis scripturæ testimoniis, & rationibus, quas supra allegavimus pro perpetua B. Virginis virginitate, & specialiter ex illo Ezechielis 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Quæ verba proprium, & nativum sensum habent in porta orientali templi Salomonici; allegoricè tamen Patres omnes & interpretes intelligunt de utero virginali Deiparæ, qui nulli pervius fuit nisi soli supremo Principi Deo, uti habet Tirinus commentario in cap. 44. Ezechielis.

N. 922. Probatur secundò ex illis verbis scripturæ. *Joseph autem cum esset justus, voluit occultè dimittere eam.* Matth. 1. Ex quibus patet, S. Jo-

sephum non cognovisse suam uxorem, quia tunc, ait Evangelista, voluit dimittere, quando *inventæ est in utero habens*, id est, quando S. Joseph advertit conjugem suam esse gravidam, & non à se, si enim ipse carnaliter cognovisset, non potuisset scire, quòd non sit gravida suo cum ipsa congressu, si autem Joseph non cognovit uxorem ante Christi conceptionem, & nativitatem, neque deinceps cognovit, quia factum id est propter votum continentiaæ mutuo consensu, ut S. Thomas 3. p. q. 28. a. 4. in corp. notat, emissum.

N. 923. Objicies. Matth. 1. dicitur: *antequam convenirent inventæ est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ergo ipse Evangelista insinuat, quòd aliquando convenirent. *Respondeo.* Tò *antequam* sumi hìc negativè, quatenus negationem conventionis affirmat, non positivè, quasi simul innueret affirmationem de rei contingentia post illud tempus, uti præclare ostendit S. Hieronymus lib. 1. commentar. in cap. 1. Matth. per hæc verba: *quòd autem dicitur antequam convenirent, non sequitur, quòd postea convenirent, sed scriptura, quòd factum non sit, ostendit.*

N. 924. Dico secundò. S. Josephus non duxit Deiparam ut bigamus, sed ut semper virgo. Ita unanimis hodie sententia, quam refert Reverendiss. Cœlestinus Mayr in mysteriis divini Verbi disp. 2. q. 1. a. 2. num. 6. probatur primò ex consensu gravissimorum Patrum; sic enim sentit S. Hierony-

ronymus contra Helvidium cap. pag. 316. *Tu dicis Mariam Virginem non permanfisse, ego mihi plus vendico, etiam ipsum Josephum virginem fuisse, ut per Mariam ex virginali conjugio virgo filius nasceretur.* Idem docet S. Augustinus serm. 15. de Nativitate Domini. Beda in cap. 2. Ioannis. & lib. 2. in Marci cap. 23. Petrus Damianus Epist. 11. ad Nicol. cap. 4. Anselmus in cap. 12. & 13. Matth. & ad Galat. 1. Rupertus lib. 2. in Cant. Hugo Victorinus lib. de Mariæ conjugio S. Thomas in 3. p. q. 28. a. 3. & in cap. 1. Epist. ad Galat. Gerson serm. de Nativ. B. Virg. Canisius, Suarez, Castrius, Carthagena cum communi Doctorum hodie solis hæreticis exceptis, qui Josephum sibi Similem mallent, ut ait Schan Societ. Jesu in sua Josephina Elog. 13.

N. 925. Probatur etiam ratione multiplicis congruentiæ, nam *primò* optimè Poëta monet: *siqua voles aptè nubere, nube pari*: ergo B. Virgo Josepho non ut Bigamo sed ut virgo Virgini nupsit, in quo erat par. *Secundò* tanta virgo adjutorium habere debuit simile sibi: ergo sponsum, qui virgo esset, non bigamus. *Tertid.* Christus ut moriens non alium custodem dedit Matri quam virginem, nempe Ioannem, qui quamprimùm eam accepit in sua, votum virginitatis emisit, ut docet Alexander III. in appendice ad Concilium Lateranense: ergo etiam Josephum non aliter ei elegit nisi ut virginem, *quartò*, omnes Apostoli emisserunt votum castitatis, uti ex-

pressè tradit S. Augustinus lib. 17. de civitate Dei cap. 4. & D. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum: ergo hanc prærogativam etiam habuit S. Josephus æquè & magis Christo, & matri ejus vicinus, quàm Apostoli. *Quindò*, si S. Joseph habuisset ex alia præcedente uxore liberos, divisisset amorem, nec potuisset se totum impendere Christo, quod tamen requirebatur ad sustinendum cum Christo exilium, & alia ferenda onera per triginta penè annos, ergo &c.

N. 926. Probatur *tertid* ex S. Scriptura, quia ideò quidam ex Patribus S. Josephum putant alios ex alia uxore procreasse liberos, quia in Evangelio fit mentio de fratribus Domini, specialiter de Jacobo minore & aliis, sed hoc argumentum est ex ipsa S. Scriptura nullum: ergo nullo argumento probatur, S. Josephum habuisse prius aliam uxorem: major est evidens. min. prob. Sicut Jacobus major dicitur filius Zebedæi. Matth. 10. v. 3. Ita Jacobus minor vocatur filius Alphæi, Marc. 3. v. 18. & per consequens non Josephi; item Maria, quæ mater est Jacobi minoris, ex Marci cap. 15. v. 40. & quæ inde debuisset esse uxor Josephi, adhuc vixit tempore Dominicæ passionis, & numeratur inter fœminas Religiosas passioni præsentis, Matth. 27. v. 56. & sic S. Josephus debuisset duas simul uxores in vivis habere per annos circiter triginta, quod apertè contra legem pugnat, & inde scriptura erraret, Josephum Matth. cap. 1. vocando *virum justum*, adeòque nullum

lum prorsus est argumentum, quod sumitur à fratribus ad probandum, quòd Joseph ex alia uxore liberos genuerit.

N. 927. *Objicies primò.* Marc. 6. *expressè dicitur, nōne hic est faber, filius Maria, & frater Jacobi?* Item Matth. 13. *nōne hic est fabri filius? nōne Mater ejus dicitur Maria, & frater ejus Jacobus & Joseph?* ergo quia fratres dici non sic possunt salva fide ex Maria Virgine, debent tales nuncupari ex primo Josephi conjugio. *Respondeo*, ex argumento scripturistico prius adducto apparere, quàm vacuum sit hoc argumentum ex appellatione fratrum accepto, quia evidenter constat ex scriptura, quòd iste Jacobus non sit filius naturalis Josephi, sed Alphæi, & quod proinde Evangelium Matthæi, & Marci non sit intelligendum de fratribus naturalibus Jesu, sed de consanguineis, prout moris erat apud Judæos, etiam consanguineos fratres vocare, uti postea ostendetur.

N. 928. *Objicies secundò.* Plures ex antiquis Patribus à num. 1. laudatis sentiunt, Josephum fuisse bigamum, & liberos habuisse ex alia uxore: ergo sententia hæc insistendo SS. Patribus saltem probabilis est. *Respondeo*, salva reverentia Patribus debita opinionem hanc non posse amplius esse probabilem, tum quòd clarissimè contradicat huic probabilitati: S. Hieronymus à Num. 5. citatus & in Matth. cap. 12. dicens; *quidam fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur sequentes deliramenta apocryphorum*.
Theolog. Mariana.

rum, cujusmodi sunt Evangelia sub nomine Petri, & Jacobi, quæ olim circumferebantur, si autem deliramenta sunt, probabilitatem non habent, tum quòd satis convincenter ex scriptura ostensum sit, quòd Jacobus non sit filius Josephi, sed Alphæi.

ARTICULUS VI.

Quaratione in Scriptura aliqui Fratres Domini appellantur, si Josephi filii non sint?

N. 929. **O**bservo, fratres Domini in Evangelio nuncupantur sequentes. Primus est *Jacobus minor*, ille filius Alphæi, Marci 3. v. 18. & Mariæ, Marci cap. 15. v. 40. Secundus est *Joseph Jacobi minoris frater*. Marci 15. v. 40. Cujus mentio fit etiam Act. 1. ubi cum Mathia in electione fuit, & cognomen *Justi*, sicut Jacobus sortitus est. Tertius est *Simon frater Jacobi*, & *Joseph ex Matth. cap. 13. v. 55.* Quartus est *Judas Thaddæus*, ad differentiam *Ischariotis*, nominatus frater Jacobi, Josephi, & Simonis, uti clarus textus est Matth. 13. v. 55. in hæc verba: *nōne hic est fabri filius? nōne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?* De his inquiritur, qua ratione fratres Domini nominentur? Ad quæ

N. 930. Dico, omnes, qui nominatim vocati sunt fratres Domini, fuerunt tales nuncupati propter consanguinitatem cum Jesu, tanquam filii Cleophæ cognomento Alphæi, & Mariæ
D d d. riæ

phæ, & consobrini, ut eos vocat S. Hieronymus tanquam filii Mariæ Cleophæ Materteræ majoris sororis S. Annæ Matris Deiparæ, & Aviæ Christi.

ARTICULUS VII.

In qua ætate fuerit Joseph, dum illi Virgo fuit desponsata?

N. 932. **O**bservo, ex arbore consanguinitatis prius statuta apparet, quòd Cleophas Josephi frater Mariam duxerit sororem S. Annæ, & quòd idcirco Cleophas necessario majoris ætatis fuerit, quàm Deipara Virgo. Quod idem etiam dicendum est de S. Josepho tanquam fratre ipsius Cleophæ, quanto autem majoris ætatis fuerit, disputatur inter eruditos, quidam secuti S. Epiphanium hæresi 78. qui asserunt, eum fuisse senem octoginta annorum & ultrà, dum Mariæ copularetur, idem videntur sentire Cedrenus in compendio historiæ, & Nicephorus lib. i. histor. cap. 7. Quæritur ergo, an hoc sit dicendum? ad quod

N. 933. Dico. Joseph non fuit senex, sed vir ætate florens circa triginta, vel quadraginta annos, dum Virgini fuit desponsatus. Ita communis sententia, & juxta Suarez, tom. 2. in 3. p. dist. 7. sect. 3. certa. Probat *primò*. B. Virgo fuit idcirco matrimonio copulata, ut honor ejus poneretur in tuto, possètque gravitas ejus & partus Marito tribui ab omnibus, qui peractum in ea mysterium

ignorabant, quod autem tunc omnibus erat ignotum sicut & ipsi Josepho, donec ab Angelo fuerit edoctus, atqui si S. Josephus jam tempore desponsationis fuisset senex ultra octoginta annos natus, non potuisset ipsi gravitas Virginis, & partus ejus adscribi, & potuissent homines facillè quid sinistri suspicari de uxore juvencula pariente; ergo non est credendum, & asserendum, quòd S. Joseph fuerit tam provectæ ætatis tempore desponsationis.

N. 934. Probat *secundò*. Decuit, ut in hoc omnium nobilissimo matrimonio servaretur proportio inter virum, & uxorem saltem talis, quæ communi usu, & consuetudine servatur, adeoque ut Virgini, quæ primùm erat quatuordecim annorum, non daretur senex plus quàm octoginta annorum: item oportebat, ut Josephus tanquam vir esset adhuc ætate florens, & integris viribus, ut posset pauperem familiam alere, peregrinationes sustinere, in fovenda, & educanda prole Virgini præsidio, & solatio esse; ergo omnino credendum est, quòd S. Joseph non fuerit adeò senex.

N. 935. Objicies *primò*. S. Josephus fuit B. Virgini in matrimonium datus tanquam custos castitatis: ergo jam fuit senex. *Respondeo*. Ad servandam castitatem utriusque conjugis non fuisse necessariam senilem ætatem, sed virtutem & robur Spiritus S., cujusmodi fuit in Josepho Patriarcha in Ægypto, qui in juvenili ætate castitatem, & fidelitatem Domino suo ser-

vavit, e contra Susannæ insidiatores senes fuerunt, & tamen olores castitatis.

N. 936. Objicies *secundò*. Isai. cap. 62. dicitur: *habitavit Juvenis cum Virgine*, quod ad hoc mysterium applicat Glossa ordinaria, & Nicolaus de Lyra: ergo S. Josephus necdum fuit vir, sed juvenis æqualis Virgini in sua ætate. *Respondeo*. Hoc Prophetam narrare per modum rei cujusdam singularis, & extraordinariæ gratiæ, qualis revera etiam est, & forsitan major in virili vegeta ætate, quàm de eo ut nimis juvene.

ARTICULUS VIII.

In qua ætate fuerit B. Virgo, dum Josepho nupsit?

N. 937. **O**bservo, P. Hyacinthum Serrii in Exercitationibus criticis. Exercit. 25. totis viribus contendere, quòd B. Virgo, dum nupsit Josepho, jam grandioris ætatis fuerit, & quia Cajetanus annos viginti quatuor nubenti Virgini tribuit, & Gerson quinquaginta Josepho adjudicat serm. de Nativ. B. Virg. habito in Concilio Constantiensi, judicat utrumque divinare, & annos ex æquo definire, circa quod

N. 938. Dico, B. Virgo tempore desponsationis inchoatum decimum quartum annum habuit. Ita communis, & probabilior sententia teste Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 7. sect. 3. cum Abulensi in cap. 2. Matth. quæst. 101. & Ioan. Lucido tract. de vero die pas-

sionis Christi & allis Annalisticis, & Chronologis. Probatur *primò* cum Suarez. B. Virgo tanquam trimula oblata in templo undecim annis ibi mansit, & tunc tradita fuit Josepho, & post quatuor menses Angelicum Nuntium habens concepit, atque decimum quintum annum agens peperit, prout communis Patrum sententia habet, relata ex Evodio in epistola, quæ vocata est Lumen. Nicephoro lib. 2. histor. cap. 3. Gregorio Nysseno, Damasceno & aliis apud Suarez, quorum Patrum auctoritas majorem fidem facit, quàm conjectura Cajetani à Serrii laudata, præsertim, quia ut advertit Vasquez 3. p. dist. 125. cap. 11. Cajetanus tantum censet rationabile, quòd B. Virgo 24. annum attigerit in desponsatione, pro certo autem pronuntiat, quòd expleto jam decimo nono anno fuerit enixa.

N. 939. Probatur *secundò*. Fœminæ sunt nubiles decimo quarto ætatis anno, præsertim si sint bonæ constitutionis, uti optimæ fuit Beatissima Virgo, & insuper moris fuit apud Judæos, nuptias, si nihil obster, non differre, & ne puella supermatura fiat, impedire; præterea altissima Dei providentia erat, ut ad tantas preces B. Virginis & tot justorum, quantum possibile erat, opus Incarnationis acceleraretur, & inde desponsatio, quæ præire debebat, non procrastinaretur, ergo B. Virgo jam anno decimo quarto, quo nubilis erat, fuit desponsata.

N. 940. Objicies *primò*. P. Serrii Exercit.

Exercit. 25. num. 5. asserit, cachin-
nis, ac sibilis ab universis criticæ
sententiæ peritis excipi momentum
illud, quod Cardinalis Baronius ex
epistola Evodii petit pro Virgine de-
cimo quarto ætatis anno Josepho nu-
pta, cùm illa epistola sit spuria, & fa-
bulis à capite ad calcem infarta: ergo
cum eandem epistolam allegemus, fun-
damento non satis solido innitimur.
Respondeo, tam vehementem crisin
probare, quòd Serrii in taxanda Au-
doritæ Patrum, Cardinalis Baronii,
& aliorum Scriptorum, ac Theologo-
rum excedat, præsertim quia nihil
solidi affert ad communem sensum
Doctorum evertendum, quòd enim
in epistola Evodii quædam apocrypha
inveniantur, non probat, quòd ea
tota sit abjicienda, & nullus fidei ha-
benda, quia nemo penè ex antiquis
scriptoribus est, cujus omnia, quæ
affert, probantur, & hi sæpè sibi invi-
cim contradicunt, & varia etiam apo-
crypha, quæ vitio descriptorum ir-
repperunt, continent, nec tamen hæc
omnia rejiciuntur tanquam fabulæ si-
bilis explodendæ, sed purgantur, &
ea assumuntur, quæ aliunde etiam af-
sensum communem, vel traditionem
obtinent, & ita se habet epistola Evo-
dii circa historiam B. Virginis, id est,
circa præsentationem ejusdem quà
trimulæ in templo, & desponsatio-
nem circa annum decimum quartum,
quia cùm Evodius immediatè succe-
dat Apostolis, hoc scire potuit per tra-
ditionem, & quia Epistola ejus ab
Bruditis passim citatur, ideò etiam

sua probabilitas, atque auctoritas ei
defertur, nec est, cur ex toto apo-
crypha, & in specie quoad hanc hi-
storiam B. Virginis nullius momenti
habeatur; cùm sit ex traditione juxta
Bollandistas in vita S. Joachim.

N. 941. *Objicies secundò* cum P.
Serrii loc. cit. B. Virgo non libidinis
causa, nec prolis procreandæ studio
fuit nuptui tradita: ergo non est ra-
tioni consentaneum credere, quòd
matrimonium ejus fuerit ita accele-
ratum. *Respondeo*. Non solam libidi-
nem esse causam accelerationis matri-
monii, sed consuetudinem veteri legi
conformem, ne scemina ad nubendum
fiat supermatura, si commodè nuptiis
dari potest. Specialiter autem accidit
hoc divino consilio, ut votis SS. Pa-
trum per preces B. Virginis comple-
tis pro accelerando Incarnationis my-
sterio fiat satis.

N. 942. *Objicies tertio*. Rebecca,
dum nuberet Isaaco Gen. 24. & Abi-
sag Sunamitis, dum ad Regem Davi-
dem adducta est, 3. Reg. cap. 1. erant
circiter viginti annorum. Item Ruth
Moabitis à Booz puella vocata erat
annorum ad minimum viginti quinque:
ergo nihil vetat, Virginem Josepho
nubentem annos ætatis suæ quatuor-
decim excessisse. *Respondeo*, per se lo-
quendo nihil obesse, quo minus puella
nubilis non statim anno decimo quarto
nuptui tradatur, quia varia obstacula
esse possunt quæ impediunt, quo mi-
nus annus decimus quartus observe-
tur, sed nuptiæ differantur, id tamen
etiam verum manet, quod cum puella

decimo quarto anno sit nubilus, possint fieri nuptiæ, & de more veteris testamenti hoc tempore, si aliud impedimentum non obstiterit, hæ factæ sint: ergo quia impedimentum non noscitur circa B. Virginem, & aliunde Deus tam vehementibus precibus imploratus fuerit, ut negotium Incarnationis, quod nuptias requirebat, acceleraret, ideo hæ ultra annum decimum quartum non fuerunt protensa.

ARTICULUS IX.

Quare S. Josephus dimittere Mariam Virginem voluerit?

N. 943. **O**bservo, in assignanda causa dimissionis in S. Josepho tres esse sententias. Prima docet, Josephum B. Virginem judicasse ream adulterii, & ideo voluisse dimittere, pro qua sententia citantur Justinus M. in Dialogo cum Tryphone. S. Augustinus Epist. 54. ad Macedonium serm. 14. de Natali Domini, & alibi S. Chrysostomus homil. 4. in Matth. tom. 2. Euthimius, Hilarius, & alii. *Secunda* sententia opposita tuetur, S. Josephum cognovisse per revelationem Incarnationis divinæ mysterium, & ideo ex humilitate, & reverentia voluisse occultè dimittere. Ita sentiunt Origenes homil. 1. in Matth. D. Basiliius tom. 1. homil. 25. D. Bernardus homil. 2. *super missus*, Hugo Cardinalis, Salmeron & alii. *Tertia* sententia inter duas priores media inficiatur utrumque, & econtra docet causam dimit-

tendi fuisse ex una parte ignorantiam mysterii, ex altera innocentiam Virginis, & existimata justitia rei, si rem tantam concredat divinæ providentiæ, & ad tempus se subducat à sponsa, donec eventus veritatem edoceat. Ita S. Hieronymus in cap. 1. Matth. D. Petrus Chrysologus serm. 145. Glossa ordinaria, Simon Cassianus, Sylveira, Cornelius à Lapide, & plures alii, cum quibus

N. 944. Dico, causam, cur S. Josephus voluerit dimittere B. Virginem, fuisse innocentiam Virginis, ignorantiam mysterii, & existimatam justitiam rei in hoc, si totum relinquat Deo, & ad tempus se subducat, donec eventus statum rei edoceat. Ita communior sententia, & clara S. Hieronymi in cap. 1. Matth. ubi sibi sic objicit. *Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur, & in lege præceptum est, non solum reos, sed etiam conscios criminis obnoxios esse peccati, quomodo Joseph, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur. Ad quod sibi respondet. Sed hoc testimonium Maria est, quod Joseph sciens illius castitatem, & admirans, quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.*

N. 945. Probatur nunc specialiter prima pars de Innocentia Virginis, quia S. Joseph scivit virginem obstrictam esse voto castitatis, vita, & moribus prorsus inculpatam, Angelica puritate, & summa sanctitate præditam ut adeò non potuerit firmo judicio judicare, eam ream esse sacrilegii ex voto violato, ac adulterio commisso, sed hoc ipso, quia justus scribitur, in-

tume-

tumescentiam uteri cuiunque alteri causæ incognitæ adscripsit, & quia in scriptura legitur Isai. 7. *Ecce virgo concipiet*, potius cogitavit, quòd modo quodam Deo cognito tanquam virgo conceperit. *Confirmatur*, si Joseph firmum iudicium de adulterio patrato habuisset, & ob hoc dimittere voluisset, debuisset dimittere cum libello repudii, cum hoc ita requirat lex Deut. 24. & sic non potuisset id facere occultè. Ergo quia occultè voluit dimittere, non credebat de virgine, quòd adulterium commiserit.

N. 946. Probatur secunda pars de ignorantia mysterii, quia id clarè constat ex S. Scriptura, nam Matth. 1. v. 20. ait Angelus ad Josephum: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem, quòd enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* ubi Angelus cum primùm docet mysterium de miraculosa conceptione ex Spiritu S. ergo S. Joseph per prius non scivit mysterium, & sic etiam non potuit velle dimittere ex humilitate, & reverentia erga hoc mysterium, sed potius ob hoc, quòd ignoraret mysterium.

N. 947. Probatur tertia pars de rei iustitia in occulta subductione ad tempus, quia imprimis scriptura Josepho laudem tribuit, quòd fuerit *vir iustus*, & quòd voluerit occultè dimittere, & non traducere, quia *vir iustus* erat Matth. 1. ergo causa ipsi erat iustitia, quam putabat esse in hoc, quòd rem Deo committat, & ipse se ad tempus subducat usque dum eventus rei clariora, & certiora doceat.

Confirmatur ex Authore operis imperfecti in cap. 4. Matth. *ò inestimabilis Maria laus, magis credebat castitati ejus quàm utero Virginis, plus gratia, quàm natura, conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat, possibilis esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare:* ergo Innocentia Virginis, ignorantia mysterii, & iustitia in occulta dimissione Josepho voluntatem suggessit occultè dimittendi illam.

N. 948. Objicies primò. Si S. Josephus neque adulterii crimen de B. Virgine credidit, neque Incarnationis Dominicæ notitiam habuit, nulla apparet iusta, & excusans ratio, propter quam Joseph eam licitè potuisset dimittere, cum arctissimum matrimonii vinculum dimissionem illicitam fecisset: ergo per nostram assertionem non salvatur iustitia S. Josepho attributa: *Respondeo*, iustitiam facti à Josepho cogitati circa dimittendam uxorem in eo esse sitam, quòd licèt sub utero gravido crimen subesse non crederet, quia tamen ignorabat, quid subit, ideò consultum esse putaverit, rem committere Deo, & ad tempus se subducere, donec eventus rei veritatem aperiat. Deinde voluntas dimittendi non erat absolutè pro semper, neque firma, & efficax, sed erat tantùm motus voluntatis deliberantis, & consultantis, ut patet ex verbis Matthæi, *hac ea cogitante: Ecce Angelus Domini apparuit* Matth. 1. adeoque non determinatè iudicabat, sed fluctuabat idque ex singulari dispositione Dei per-

missum, ut occasione animi hujus fluctuantis, & anxie dubitantis virgineus conceptus tum ab Angeli nuntio, tum ab ipso postea virginis sponso testimonium acciperet, uti optimè notat Reverendiss. Godefridus Khröll in hist. Evang. tract. 2. cap. 3. q. 6.

N. 949. *Objicies secundò.* Christus Dominus repudium uxoris non virtuti, sed duritiæ cordis in Pharisæis deputat Matth. 19. ergo Josephi voluntas in dimittenda uxore non potest reputari justa. *Respondeo,* Evangelium laudare Josephum ut justum propterea, quia non voluit uxorem suam, cujus innocentiam sciebat, ratione gravis uteri traducere, & quia voluntatem habuit tantum ad tempus occultè se subducendi, & uxorem dimittendi, donec rei veritas innotescat, in quo nihil legi contrarium reperitur, sed potius consonum, quia teste Hieronymo non tantum rei, sed etiam conscii criminum juxta Levit. cap. 5. v. 1. obnoxii sunt peccati, & ideò licet Joseph uxorem non potuerit arguere peccati, debuit tamen eam cernere tanquam uterum portantem, & nescius à quo, unde se etiam poterat obligatum credere ad uxorem occultè dimittendam, donec rei veritas illucescat, & sic etiam sentit Glossa ordinaria in cap. 1. ubi ait, sciebat illam esse inculpabilem, sed unde, vel quid esset, ignorabat, & ideò mediam elegit viam effugiendi, ut neque rei incognitæ consentiendo se reum faceret, quæ vera virtus est, cum nec pietas

sine justitia, nec sine pietate justitia sit. Ita Glossa.

ARTICULUS X.

An S. Joseph fuerit minister Dominiæ circumcissionis?

N. 950. **O**bservo, esse errorem vulgi, quo Christus in templo & quidem à summo sacerdote circumciscus creditur, licet enim ita soleat depingi, & proponi à pictoribus, reipsa tamen non ita est, quia satis clarè indicat Evangelium, quòd Christi Parentes Bethlehemi manserint usque ad diem quadragesimum: *postquam impleri sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sifterent eum Domino.* Luc. 2. & quia ibidem dicitur, quòd post dies octo fuerit circumciscus, sequitur, quòd non in templo, sed in loco, quo natus est, fuerit circumciscus, nec à summo sacerdote, quia circumcisio non erat determinatè ministerium sacerdotale, vel Leviticum, sed poterat indifferenter à quovis peragi, sic Abraham circumcidit Ismaëlem & vernaculos. Gen. 17. v. 23. item Isaacum Gen. 21. v. 4. item Josue circumcidit filios Israël. Josue cap. 5. imò etiam mulieres circumcidebant filios, uti Sephora Exod. 4. v. 25. & mulieres Machabæorum, quæ idcirco ab impio Rege Antiocho de muro sunt dejectæ. 2. Mach. cap. 6. quaeritur ergo, an D. Joseph fuerit minister circumcissionis? ad quod

N. 951. Dico. S. Joseph fuit minister circumcisionis Dominicæ. ita Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 15. sect. 1. cum communi sententia. Probatur primò. Eodem die, quò Christus fuit circumciscus, fuit ei etiam nomen impositum, uti expressè habetur Lucæ 2. v. 21. *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Ergo idem minister, qui ei nomen imposuit, etiam circumcidit, sicut defactò idem minister, qui baptizat, nomen imponit, atqui Joseph nomen imposuit puero Jesu juxta illud, *vocabis nomen ejus Jesum.* Matth. 1. ergo etiam circumcidit, seu minister circumcisionis fuit.

N. 952. Probatur secundò. Eadem lege præcipiebatur Israelitis circumcidere proles masculas, & simul in ejusdem sacramenti collatione nomen imponere, uti habet S. Cyprianus lib. de Cardinalibus Christi operibus: ergo sicut sacrosanctum Nomen Jesu à Josepho Christo fuit impositum, ita ab eodem fuit circumciscus. *Confirmatur ex testimonio S. Ephrem Syri in oratione de transfiguratione dicentis; si non erat vera caro, quem ergo Joseph circumcidit? voluit nempe S. Pater probare ex Christi circumciscione à Josepho facta veritatem carnis Christi ab illo assumptæ: ergo minister circumcisionis Dominicæ est Joseph.*

N. 953. Objicies primò. S. Joannes fuit circumciscus ab alio, quàm à suo Patre, cum scriptum sit. Luc. 1. v. 59. *factum est die octavo, venerunt circumcidere puerum:* ergo etiam Christus Do-

Theolog. Mariana.

minus fuit ab alio circumciscus quàm à Patre putatio Josepho. *Respondeo,* his verbis non denotari, quòd illi, qui venerunt circumcidere puerum, reipsa circumciderint, seu ministri circumcisionis fuerint, quia non sunt plures ministri, sed unus, & hæc verba tantum insinuant, quòd amici, & vicini ad solemnizandam circumciscionem, quam peregit vel ipse Zacharias tanquam sacerdos, vel alius quisunque, cui honoris gratia fuit hoc ministerium delatum, fuerint invitati: in spelunca Bethlehemitica nihil indicatur de tali vicinorum conventu, vel solemnitate peracta, & ideò quia S. Josephus aliunde jussus fuit nomen imponere, etiam indubiè circumciscionem in se suscepit.

N. 954. Objicies secundò. Auctor libri de vera circumciscione inter opera D. Hieronymi tom. 9. computatus dicit: *Christus octava die circumciscitur à Maria:* ergo quia etiam aliæ Matres circumciderunt masculos suos, & inde liberum in antiquo testamento fuit, ut Pater, vel Mater hoc officio fungeretur, non potest determinatè dici, quòd S. Joseph circumciderit. *Respondeo,* imprimis Patresfamilias obiisse hoc officium regulariter, Matres verò tantum, dum vir commodè non posset, & id præprimis dicendum est de S. Josepho, quia huic de coelo demandatum est officium, ut nomen imponat, cum qua impositione simul conferri debebat circumciscio, quòd autem Author de vera circumciscione dicat, circumciscionem fuisse peractam à Maria, non habet robor, quia testi-

E e e

monium

monium hoc contradicit fortioribus argumentis à nobis hucusque allatis.

ARTICULUS XI.

Quam artem S. Joseph exercuerit?

N. 955. **O**bservo, S. Josephum fabrum fuisse, constare ex Evangelio dicente: *nónne hic est fabri filius?* Matth. cap. 13. v. 55. qualis verò fuerit faber, non est una, & concors Auctorum sententia. S. Hilarius can. 14. in Matth. L. Leander Hispanensis lib. de instit. virg. cap. 22. S. Petrus Chrysologus serm. 48. & alii plures existimant, fuisse fabrum ferrarium. S. Ambrosius super cap. 13. Matth. ait: simul fuisse fabrum ferrarium, & lignarium. Quæritur ergo, qualis credendus sit fuisse faber? ad quod

N. 956. Dico. S. Josephus fuit faber lignarius tantum. Ita S. Thomas super cap. 13. Matth. cum communi nunc sententia, quam etiam tradit historia Orientalis teste Gratiano, quæ teste Augustino Calmet dissert. de S. Josepho vim habet cujusdam traditionis ex eo maximè, quia ut Stengelius ait in historia S. Josephi cap. 2. antiquissima consuetudo communi Ecclesiæ sensu recepta eum depingit tanquam fabrum lignarium ferram, & asciam manu tenentem, & quia id etiam docet antiquissimus scriptor S. Justinus M. in dialogo cum Tryphone. D. Chrysostomus serm. 30. in c. 1. Epist. ad Roman. Sozomenus lib. 6. histor. Eccles. cap. 2. Theodoretus

lib. 3. histor. Eccles. cap. 23. Nicephorus lib. 10. histor. cap. 33.

N. 957. Probatur etiam ratione. Talis fuit faber S. Joseph, qualis fuit faber Christus Dominus, sed Christus Dominus fuit faber lignarius: ergo etiam S. Josephus. Major videtur in-negabilis, quia Christus fuit Josepho subditus, & eum in opere quotidiano adjuvit, & sic ambo eidem arti fuerunt addicti. minor. prob. quòd Christus fuerit faber, liquet ex S. Scriptura dicente Marci 6. *nónne hic est faber, & quidem lignarius, quia sicut per lignum crucis salutem hominum erat operaturus, ita per triginta annos volebat se in arte lignaria occupare, ut dicit Auctor operis imperfecti homil. 1. in Matth. & Lyranus super cap. 6. Marci, inquit: Probabile videtur, quòd Christus eandem Josephi artem exercuerit, & quòd in arte Patris sui putativi fuerit occupatus, quia in doctrina, & miraculis usque ad trigessimum annum se non exercuit. Quod etiam confirmat ingeniosum illud responsum cujusdam Christiani Ludimagistri, qui interrogatus à Libonio Sophista Juliano Apostatæ familiari. *Quid ageret fabri filius?* respondit, *eum feretrum fabricare Juliano, post quod Julianus etiam paulo post confossus jaculo interiit, ut refert Theodoretus lib. 3. histor. Eccles. cap. 8.**

N. 958. Objicies primò cum Paulo Burgensi Episcopo super cap. 6. Marci. *neque ex hoc, quòd illi de Nazareth ipsum fabrum vocabant, concluditur, ipsum fabrum fuisse, sed fabrum illum dicebant ad*
vili-

vilipendam ejus doctrinam. Ergo Christus non fuit faber, & neque ex eo probatur fabrum fuisse Josephum. *Respondeo* cum Cajetano super cap. 6. Marci, esse quasi certum, quod Christus fabrilem artem exercuerit tempore, quo vixit cum Josepho, neque Burgenfi deferri potest, quia si illi Nazarenus voluerunt vilipendere Christi doctrinam titulo artis fabrilis, debuit hoc ipso Christus fuisse addictus huic arti, deinde non est ita, quod illi de Nazareth contempserint Christi doctrinam, sed admirati potius sunt doctrinam talem in homine, qui litteras non didicit, & artem fabrilem exercuit.

N. 959. *Objicies* secundò cum Barradio lib. 10. cap. 15. inconveniens esse, quod Christus more fabrorum per alienas aedes fabrilia opera exercuerit, tecta conscenderit, ligna cum aliis fabris dolaverit, & ejusmodi: ergo non fuit faber lignarius. *Respondeo*, quod sicut Apostoli labore manuum sibi victum comparabant, ut Paulus dicit Act. 20. ea, quae mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Ita etiam Christus Dominus non abhorruit à labore manuum, utpote, qui se amore nostri ad humilem artem dimittere voluit, ut in sudore vultus Adamo, & descendantibus ejus promisso vesceretur pane Gen. 3. & ut communem vitam agens pro filio Josephi naturali ab ignorantibus Incarnationis mysterium reputaretur. Unde optimè Salmeron tract. 47. tom. 3. multi hoc desiderio sciendi, quid ab anno

duodecimo ad trigésimum fecerit Christus, discruciantur, quibus hoc verbo Lucas satisfacit: erat subditus illis, laborabat, jejunabat, silebat, pauperibus Parentibus collaborabat. Deinde in Judæa fabri tales sunt teste Gratiano lib. 2. cap. 5. qui quidvis operantur in ligno, & sic Joseph cum Jesu etiam domi poterant esse fabri non exeundo ad labores.

ARTICULUS XII.

Quando obierit S. Joseph?

N. 960. **O**bservo, hoc esse certum ex Luc. 2. quod S. Joseph vixerit usque ad duodecimum annum Christi Domini, quia ibi dicitur, eum amisisse, & post triduum invenisse sedentem in medio Doctorum in templo, post quod tempus nempe duodecimum Christi annum D. Epiphanius hæresi 78. existimat eum è vivis excessisse, sed ejus ratio non probat, quod tunc sit mortuus, sed tantum hoc, quod fuerit mortuus ante Christum prædicantem, sic enim ait: post hos annos moritur Joseph, ubi non amplius dicit Evangelista, quod venit Pater ipse, & fratres, sed ecce Mater tua, & fratres tui foris stant, & quando in cruce pendebat, si convixisset Mariæ, qua ratione tradidisset Joanni? Porrò Hyacinthus Serrii Exercit. 25. inquit: non desunt Ecclesiæ Patres, qui Josephum Christo moriente adhuc in vivis esse putent, inter quos citat D. Chrysostomum homil. 5. in Matth. S. Ambrosium lib. de institut. virg. cap. 6. S. Augustinum serm. 81. de tempore. **Auctorem**

ctorem sermonis de Passione Domini apud D. Cyprianum. Quæritur ergo, quando mortuus fuerit? ad quod

N. 961. Dico, videri certum, quòd S. Joseph non fuerit amplius in vivis Christo moriente, vixisse tamen probabiliter usque ad Christi baptismum. Prima pars habetur tanquam certa à Comestore nobili Authore cap. 38. in c. 2. Joan, & à Joanne de Carthagena lib. 4. homil. 3. Stengelio in histor. S. Josephi cap. 14. imò Carthagena, & Stengelius certissimam vocant persuasionem, quòd S. Joseph non amplius fuerit in vivis tempore Passionis Dominicæ, quia aliàs Christus moriens, ut observat Epiphanius, Matrem suam certè non commendasset S. Joanni, sed reliquisset ejus curam S. sponso ejus Josepho. Videtur etiàm certum, quod si S. Josephus fuisset in vivis Christo vitam publicam agente, fuisset etiàm invitatus ad nuptias Cananæas, ad quas Christus, & Maria cum discipulis sunt vocati Joan. 2. & ipse Josephus Christi amantissimus certè cum aliis adfuisset passioni, & cruci Christi, & Evangelistæ, qui aliorum inferioris notæ meminerunt, non præterissent silentio sponsum Virginis & Patrem nutritium Christi: ergo certum videtur, quod S. Josephus non amplius fuerit in vivis Christo moriente.

N. 962. Probatur etiàm secunda pars, quòd fuerit in vivis probabiliter usque ad Baptismum Christi, quia id edicit Cedrenus celebris Historiographus in compendio histor. cum D. Bo-

naventura lib. de vita Christi cap. 17. S. Isidoro lib. 4. de S. Josepho: persuadet etiàm ratio, quia cum Jesus voluerit esse subditus Josepho tanquam Patri pro tempore vitæ solitariæ, toto hoc tempore Josephus fuit superstes, & pro tunc mortuus, quando vita Christi publica incepit, in qua subiectus erat Patri cœlesti, uti ipsemet insinuat Luc. 2. *quid est, quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.*

N. 963. Objicies primò cum P. Serrii. D. Chrysostronus homil. 5. in Matth. ait: *quòd licet Josephus Christo moriente fuisset superstes, tamen Matrem suam Joanni non Josepho commendasset, ut ea ratione significaret, nullum Mariam inter, & Josephum intercessisse carnale commercium:* ergo inde non probatur, quòd Christo moriente non fuerit superstes. Respondeo, S. Chrysostronum ex eo, quod Christus moriens Virginem Matrem Joanni commendaverit, hoc solum concludere, quòd nullos alios filios habuerit præter Christum, quia aliàs alteri filio superstiti commendasset, deinde S. Chrysostronus in Acta Apostolorum pag. 470. S. Josephi mortem tempore mortis Christi saltem conjecturaliter testatur ex eo, quòd S. Lucas recenset eos, qui unanimiter in oratione perseverarunt, & S. Josephi mentionem non faciat, dicens: *Joseph itaque forsàn jam erat vita defunctus, eoque noluit hujus facere mentionem:* ergo ex S. Chrysostrono contrarium non benè concluditur.

N. 964. *Objicies secundò.* D. Augustinus serm. 81. de tempore ait, Josephum Christum adorasse in sua resurrectione, verba ejus hæc sunt: sol & luna, & undecim stellæ Christum adorârunt, quando post resurrectionem apparuit, S. Maria quasi luna, & beatus Joseph quasi sol cum undecim stellis, id est beatis Apostolis prostrati sunt ante eum: ergo S. Joseph teste Augustino fuit superstes Christo moriente. *Respondeo*, ex hoc non probari, quod S. Joseph tempore mortis Christi nondum fuerit mortuus, sed tantum, quòd Christum cum Maria, & Apostolis adoraverit, quod & nos fatemur esse factum, quia ut proximè concludemus, S. Joseph fuit inter alios cum Christo resurgente ad vitam revocatus, & inde potuit cum sponsa sua Maria tanquam sol, & undecim discipulis Christum adorare.

ARTICULUS XIII.

Utrum S. Joseph fuerit à Christo ad vitam immortalem revocatus?

N. 965. **O**bservo, est certum, quod Christo resurgente multa corpora Sanctorum, qui dormierant, resurrexerint. ita enim expressè habetur Matth. cap. 27. v. 52. *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus (nempe Christi) venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Quæritur ergo, utrum inter hos Resurgentes etiam fuerit S. Joseph, & num in vitam immortalem resurrexerit,

ac proinde cum Christo in cœlum ascenderit corpore, & anima? circa quod

N. 966. Dico *primo*. S. Joseph fuit à Christo ad vitam revocatus. ita Gerson serm. de Nativ. B. Virg. ad Patres Concilii Constantiensis habito. Viguerius de Incarnat. §. de Annuntiat. Domini cap. 20. Fonseca in vita Christi cap. 9. Gratianus de S. Josepho lib. 5. tit. 5. homil. ult. Suarez tom. 2. 3. p. disp. 8. sect. 2. Salius ad annum mundi 4065. Barradius lib. 6. cap. 8. Paulus Barrii de S. Josepho cap. 8.

N. 967. Probatum imprimis ex facto, quod Bernardinus de Bultis in 4. p. serm. 12. refert dicens; quòd eo tempore, quo S. Bernardinus Senensis Paduæ pro concione ad populum exclamabat: *cum anima, & corpore S. Joseph est gloriosus in calis.* continuò super caput ejus crux aurea visa fuerit, & indè testimonium dixerit de veritate facti, convincit etiam ratio, quia certum est, aliquos resurrexisse, & resurrectionem hanc singularem esse gratiam pro Resurgentibus: ergo hæc præprimis S. Josepho contigit, cum huic Christus tanquam Patri in multis voluerit esse obstrictus.

N. 968. Probatum *secundò* ex illo ad Hebr. 11. v. 35. *acceperunt mulieres de Resurrectione mortuos suos,* quæ verba Gerson serm. de Nativ. B. Virg. & Salius ad annum mundi 4065. exponunt præcipuè de B. Virgine, quòd inter omnes mulieres eminens de Resurrectione acceperit præter Christum filium suum etiam S. Josephum spon-

sum suum, pro quo etiam Carthagena lib. 4. homil. 3. & Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. Barradius lib. 6. c. 8. & alii conspirant: ergo si S. Joseph sponsæ suæ Mariæ resurgens apparuit, verè resurrexit.

N. 969. Dico *secundò*. S. Joseph resurrexit ad vitam immortalem, & ascendit gloriosus cum Christo in cœlum. ita Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 8. in fine. S. Bernardinus Senensis serm. de S. Josepho cap. 3. art. 3. Bernardinus de Bultis in 4. p. serm. 12. & cæteri authores citati pro Resurrectione S. Josephi. Idem docent alii universim de Redivivis sanctis cum resurgente Salvatore, nominatim Origenes super Epist. ad Rom. cap. 1. Clemens Alexandrinus lib. 6. stromat. S. Thomas in c. 27. Matth. & in 4. dist. 43. q. 1. a. 3. Jansenius cap. 143. Cornelius à Lapide in c. 27. Matth. S. Hieronymus, venerab. Beda, Eusebius, Epiphanius, & alii citati à Schan in Josephina Elog. 59.

N. 970. Probatur etiam ratione. Quia justii, qui in monumento sunt, ideò surrexerunt, ut testimonium ferrent de Christi ad immortalem vitam resurrectione etiam nobis conferenda: ergo quia testimonium congruum dare non potuissent de Resurrectione, quatenus nobis conferenda, nisi etiam ipsi ad immortalem vitam resurrexissent, ideò censendum est, etiam ipsos ad immortalem vitam resurrexisse. *Confirmatur*, Triumphalis Christi ingressus in cœlum requirit in testimonium victoriæ Redemptionem captivorum,

insuper comitatum cum aspectu, & alloquio convenienti, sed hoc solùm præstatur exinde, quòd justii resurgentes habuerint immortalem vitam, & ascenderint cum Christo in cœlum: ergo resurrexerunt ad immortalem vitam.

N. 971. Objicies *primò*. S. Thomas 3. p. q. 53. a. 3. ad 1. ait: *illi, qui suscitati sunt à Christo, sic redierunt ad vitam, ut iterum morerentur*: ergo S. Joseph cum aliis resuscitatis non surrexit ad immortalem vitam. *Respondet*, S. Thomam ibi loqui de Lazaro, & aliis in vita sua resuscitatis, non vero de his, qui cum Christo resurgente resurrexerunt, quamvis in responsione ad secundum etiam referat duplicem sententiam, unam eorum, qui cum S. Hieronymo dicunt, quod exeuntes de monumento non ante Christum surrexerint, & sic tamen Christo honor relinquatur, quòd sit primus Resurgentium ad vitam immortalem; alteram eorum, qui sentiunt sicut S. Augustinus sentire videtur, quòd resurrexerint iterum morituri, adeòque S. Thomas hîc non ex propria sententia negat resurrectionem esse factam ad immortalem vitam, sed tantùm ex sententia aliquorum, cum quibus sentire videtur S. Augustinus, non tamen eum certò cum illis sentire dicit, & locis superiùs adductis, ubi ex propria sententia loquitur, pro resurrectione ad vitam immortalem concludit.

N. 972. Objicies *secundò*. S. Birgitta lib. 6. Revel. cap. 94. affirmat, Matrem

trem Dei sibi revelâsse, quòd sancti, qui cum Christo resurrexerunt, animas quidem cum eodem in cœlos transmiserint, corpora verò terræ reliquerint, ut expectent supremum iudicii diem, & lib. 7. cap. 26. B. Virgo ad ipsam dicit: scias, quòd nullum corpus humanum in cœlo sit, nisi corpus gloriosum filii mei, & corpus meum: ergo S. Joseph non resurrexit ad vitam immortalem. *Respondeo*, Cornelium à Lapide in cap. 27. Matth. citare hanc revelationem S. Birgittæ, & hac non obstante asseverare, quòd sancti illi resurrexerint ad vitam immortalem, quia nempe licet Revelationes istæ sint approbatæ, non tamen quoad singulas sententias sunt certæ, potuerunt enim non ritè esse impressæ, vel etiam ipsa S. Birgitta subinde putare se ex spiritu Dei loqui, & tamen locuta est ex spiritu privato, quia etiam alia continent Revelationes S. Birgittæ, quæ tamen non sunt ad eò recepta, uti *primò*, quòd Maria Virgo quindecim dies in sepulchro jacuerit lib. 7. cap. 26. *secundò*, quòd non sit prævisa, ab æterno federe super omnes creaturas lib. 7. cap. 25. *tertiò*, quòd Maria Virgo magnitudine doloris ex passione Christi concepti fuerit à sensibus abducta lib. 4. cap. 70. *quartò*, quòd S. Joseph fuerit senex Christo nascente lib. 7. cap. 21. & alia, ut ad eò nihil præiudicetur ipsi etiam S. Birgittæ, si in una, & altera sententia quis ipsi refragetur, sicut idem dici solet de aliis Revelationibus, utpote quæ de fide catholica non sunt, nisi ab Ecclesia sint ex-

pressæ, & distinctim definitæ, & ad credendum divina fide proposiæ.

ARTICULUS XIV.

Utrum S. Joseph Mariæ sponsus superet Josephos omnes Evangelicos?

N. 973. **O**bservo, quatuor, qui habentur pro Sanctis præter Mariæ sponsum numerari solere Josephos. *Primus* est Josephus venditus in Ægyptum Act. 7. v. 9. *Secundus* est, Joseph ab Arimathæa nobilis ille decurio, qui corpus Christi petiit à Pilato, & obtentum deposuit in monumento, cuius festum agitur 17. Martii. *Tertius* est Joseph ille Alphæi, & Mariæ Cleophæ filius, qui colitur ab Ecclesia 20. Julii, & in actis Apostolorum cap. 1. v. 23. iustus nominatur. *Quartus* est Josephus filius mulieris Samaritanæ, quæ olim dixit Joan. 4. v. 15. *Domine da mihi aquam*, qui inter Martyres celebratur, & à Baronio in notis Martyrologii Romani ad diem 20. Martii festivus habetur. Quæritur nunc, utrum Josephus Mariæ sponsus hos antecedit? ad quod

N. 974. Dico. S. Joseph Mariæ sponsus in omni veritate antecedit hos Josephos prælaudatos. Ita Eckius Hæreticorum malleus suo tempore, sermone de S. Josepho dicens: *Si universam revolvamur scripturam, tunc singulorum Josephorum laudes huic uni Josepho tribuendæ sunt.* Probatum etiam quoad singulos, *primò* quoad Josephum Patriarcham in Ægyptum venditum, nam

nam licet hic sit Patriarcha fidelis populi, tamen ille Joseph major Patriarcha est, cum sit Pater Jesu, qui Patrens est omnium rite credentium. Item licet ille vocatus sit Salvator mundi, quia alimenta praebeat toti Aegypto, tamen noster Joseph Pater Nutritius est ipsius Regis caelestis omnia nutrientis; rursus, licet ille Joseph praemineat laude castitatis & fidelitatis erga suum Dominum, tamen sponsus Virginis majorem inde laudem meretur, quia conjux simul est, & virgo, & custos virginitatis Reginae Virginum, adeoque Josephum illum per omnia antecedit.

N. 975. Probatur *secundò*. Quod superet Josephum ab Arimathæa, quia licet hic actum praestantissimae virtutis, & fortitudinis exhibuerit, quando *audacter*, ut scriptura loquitur, introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu, & obrentum deposuit è cruce, & syndone involutum intulit monumento recens in petra exciso, in quo & Matrem Jesu, & omnes fideles Christo adherentes sibi plurimum obstrinxit, attamen non minora, sed majora praestitit noster Joseph, quia officium hoc, quod Christo mortuo fuit exhibitum, unicum est, & paucis horis absolutum, sed Josephus noster Christum adhuc in utero latentem, & Matrem ejus in custodiam suam recepit, in iis alendis, & servandis innumeras ærumnas, & pericula ipsa morte acerbiora per annos non pauciores triginta sustinuit, ob quæ Carthagena lib. 4.

homil. 2. cum Isolenò S. Josephum aureola Martyrii dignum pronuntiat.

N. 976. Probatur *tertiò* quoad Josephum Alphæi filium, quia iste quidem justus scribitur Act. 1. v. 13. & tantæ virtutis vir, ut cum Mathia in electione esset ad Apostolatam, tamen Josephum nostrum non excedit, nam & hic Matth. 1. justus appellatur non solum propter amorem, & fidelitatem erga suam sponsam, quam licet videret utero gravidam, & causam nesciret, tamen innocentem credidit, & non traduxit; est insuper vir verè Apostolicus functus munere Apostolico, quia sicut Apostoli missi sunt à Christo in universum mundum ad annuntiandum Evangelium, seu doctrinam à Christo traditam, ita S. Josephus missus est à Deo per Angelum, ut cum Matre, & puero Matth. 2. v. 13. fugeret in Aegyptum ad Christum à gladio Herodis servandum, & usque ad tempus prædicationis provehendum; præstantior autem est Persona Christi, quàm ejus doctrina, & hoc non esset, si præmaturo Herodis gladio Christus sublatus fuisset.

N. 977. Probatur *quartò* quoad Josephum mulieris Samaritanæ filium, quia licet iste cum Matre tantum biberit de aqua doctrinæ Christi, ut ad lauream Martyrii pervenerint, tamen jam diximus non deesse Auctores, qui & Josepho Virginis sponso ob ea, quæ perpeffus est propter Christum annis non paucioribus triginta Martyrii lauream consignant, & Martyrem salutant, sicut sponsam ejus Reginam

Mar-

Martyrum, plus etiam bibit Josephus de aqua doctrinæ Christi, quam quisquam alius, utpote per triginta annos Jesu & Præceptor, & Discipulus: ergo S. Joseph Mariæ Sponsus verè antegreditur omnes reliquos Josephos Evangelicos sanctorum numero adscriptos.

N. 978. Objicies. Josepho Patriarchæ Eccles. 49. v. 16. hanc laudem tribuit: *nemo natus est, ut Joseph*: ergo ille potiorem laudem obtinet, quam alii Josephi. *Respondeo*, hæc figuratè dici de illo Josepho, quatenus figura fuit non nostri Mariæ Sponsi; est autem notum, quòd figuratum sit præstantius figura, quia hæc est propter illud, deinde si veritas est, quòd nemo natus sit ut Joseph Pro-Rex Ægypti, quia conservator erat sui populi, tunc certè etiam nemo natus est, ut noster Joseph, quia natus est, ut esset servator ipsius Salvatoris, & tantæ celsitudinis ac dignitatis, ut hic ei esset subditus.

ARTICULUS XV.

Utrum S. Joseph fuerit major omnibus progenitoribus Christi?

N. 979. **O**bservo, inter progenitores Christi numerari omnes ab Adam usque ad Abraham, & ab Abraham usque ad Joseph ab Evangelistis Matthæo, & Luca recensitos, adèd, ut quæstio sit, utrum S. Joseph sit major omnibus Patriarchis ab initio mundi usque ad ipsum? & per consequens, utrum sit major Adamo ab initio in summa gratia constituto, & postea per pœnitentiam no-

Theolog. Mariana.

vies centenorum annorum rediviva, & aucta? Item major Abraham omnium ritè credentium Patre, & David viro secundùm cor Dei? rursus major Joachim, & Anna proximo avo, & avia Christi? ubi Casparus Taufsch de SS. Matre Dolorosa lib. 3. praxi 16. §. 2. putat, quòd inter amatores B. Virginis primum locum obtineant SS. Parentes Joachim, & Anna, & in particulari præferendi sint S. Joanni Baptista & Apostolis. De S. Josepho verò ait: *utrum excellentia sanctitatis Parentibus B. Virginis cesserit, vel non, aut eos excesserit, ego nihil definio.* Circa quòd ergo.

N. 980. Dico. S. Joseph fuit major, quam omnes progenitores Christi. Ita Jacobus Reiss in sua Josephina Elog. 68. & probatur primò ex scala Jacob Gen. 28. v. 12. & seq. visa, ubi per scalam, cui Dominus innixus est, intelligunt interpretes Progenitores Christi ab Evangelistis recensitos & quia Evangelistæ integram seriem totius genealogiæ in Josepho finiunt, & claudunt, ideò hunc pro præcipuo in tota illa serie habent, quia Dominus huic finaliter innixus est tanquam fundamento totius progenituræ.

N. 981. Probatur secundò argumento S. Thomæ, quòd 2. 2. quæst. 26. a. 7. & 8. & alibi sæpiùs proponit, quia ille censetur major apud Christum Deum hominem, & magis diligì ab ipso, qui est illi magis, & proximius conjunctus, quam omnes progenitores: atqui S. Joseph est illi magis & proximius conjunctus, quam omnes progenitores, ergo etiam major est

fff

apud

apud ipsum, & magis ab ipso diligitur, min. prob. Progenitores Christi, uti sunt proavi, & atavi, avus, & avia, nempe Joachim, & Anna, tantummediate conjuncti sunt Christo mediante nempe sancta Dei Genitrice, econtra S. Joseph, ut rectè Suarez Tom. 2. in 3. p. disp. 8. Sect. 1. docet, est immediate conjunctus Christo tanquam verus, & proprius Pater ejus secundum jura matrimonii, quia ipse jus verum habet in corpus virginis, & quamvis miraculosè ex hoc virgineo corpore natus sit Christus, tamen ipsi tanquam verus matrimonialis filius nullo alio mediante Patre sit proprius: cujus exemplum est in fructu alio, qui in fundo tuo miraculosè producitur, iste enim tuus immediate esse censetur: ergo quia S. Joseph Dominus est virginis corporis, & ei prodigiosè quidem sed legitime nascitur Christus, idè iste proximè Josephi esse censetur, & sic immediate ei est conjunctus.

N. 982. Probatur *tertiò*, qui magis à Deo amatur, censetur coram Deo major, quia amor Dei est effectivus reddens eum, quem amat, meliorem, atqui S. Joseph præ aliis Progenitoribus Christi fuit amatus: ergo etiam major est ipsis coram Deo. min. prob. S. Josephus longè plures affectus amoris expertus est, quam Parentes Mariæ, quia per annos non pauciores quam triginta cum Jesu vixit, & deinde inter Jesu & Mariæ manus vitam, & oculos clausit, & aliunde ut S. Thomas docet loc. proximè cit. filius præcipue amare debet Patrem: ergo S.

Joseph præ aliis progenitoribus Christi fuit à Deo homine dilectus.

N. 983. Objicies *primò*, S. Abraham est Pater omnium credentium, & S. David est Propheta, & Rex, ac vir secundum cor Dei: ergo non videtur S. Joseph illis præferendus. *Respondeo primò*, circa Abraham, quòd omnes ritè credentes simul sumpti non sint æquiparandi Christo, S. Joseph autem est Pater Christi, adeoque in paternitate major Abrahamo. Item Christus est nobiliori modo Pater credentium, quam Abraham, & sic etiam S. Joseph erit nobiliori modo horum Pater, quia est Christi Pater. *Respondeo secundò*, circa David, quòd licet hic fuerit Propheta, S. Joseph tamen longè fuerit major Propheta, quia ut docet S. Thomas 1. p. q. 57. a. 5. ad 3. & 2. 2. q. 174. a. 6. in corp. *quantò Propheta sunt viciniore Christo, tantò sunt majores, & magis post, quam ante, plenius enim post instructi sunt*, atqui S. Joseph inter omnes Prophetas fuit vicinissimus Christo ante eum natum, & post, quia ante integrè natum ei dictum est, *quod in ea natum, de Spiritu S. est*, & postquam natus est, iussus est Joseph cum eo fugere in Ægyptum ad declinandam futuram internecionem puerorum ab Herode faciendam. Porro David fuit quidem Rex, sed Joseph tanquam filius David non fuit illo in jure minor, quia jure divino delatum est ad illum in probabili sententia, quòd nulla aliena violentia auferre potuit, neque actualis temporalis Regni possessio majorem facit coram

ram Deo, cum & hæc in Christo non fuerit, quin tanten dici potuerit, Christum esse in jure Regio minorem Davide; denique quod David fuerit vir secundum cor Dei, est generosa laus illius, sed non idcirco Josepho neganda, aut in Josepho minor, sed prorsus major, quia Deus majora cordis arcana commisit Josepho, quam Davidi, David enim Deum hominem cognovit à longè, Josephus à facie, ad faciem.

N. 984. *Objicies secundò, Parentes Mariæ Virginis Joachim, & Anna genuerunt, & educaverunt affectu maximo Mariam filiam suam, ei nomen imposuere à Spiritu S. designatum, & vitam duxerunt omni ex parte sanctissimam: ergo majores sunt, vel saltem pares Josepho. Respondeo Jesum Christum infinities majorem esse Maria Virgine Matre eius, & hunc Josephus educavit, & simul vir fuit Mariæ, de quo dicit scriptura Gen. 2. v. 24. Quam ob rem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhaerebit uxori suæ: ergo magis conjunctus est S. Josephus Sponsæ suæ Mariæ, quam ejus Parentes conjunctione, quæ est ex præcepto divino in ordine ad individuam vitæ societatem, & augmentum sanctitatis ex ea capiendum, habuit enim S. Joseph ex conversatione tot annorum cum Jesu & Maria occasiones ad sanctitatem suam perficiendam millies, & innumerabiliter plures, quam B. Virginis Parentes, & quia dici non potest, quòd eas neglexerit, idèò ex his argumentum satis*

evidens est, quòd S. Joseph in suo officio, & sanctitate vitæ fuerit antegressus Progenitores B. Virginis, & Christi Domini.

ARTICULUS XVI.

Utrum S. Joseph fuerit major S. Joanne Baptista, & S. Apostolis?

N. 985. **O**bservo, sanctitatem, & dignitatem S. Joannis esse magnam in gradu eminenti, constare ex Evangelio, vi cujus de fide est, *inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptista* Matth. cap. 11. v. 11. non tamen est de fide, quòd S. Joannes omni modo sit major, quia Christus ipsemet statim addit loc. cit. quòd tamen iste sit major illo, qui minor est in regno cœlorum. Quæritur ergo, utrum S. Joseph verè dici possit, quòd sit major S. Joanne Baptista, & SS. Apostolis? ad quòd

N. 986. Dico. S. Joseph est dignitate, & sanctitate major S. Joanne Baptista, & Apostolis: Ita Carthagera lib. 4. homil. 8. Cornelius à Lapide in cap. 1. Matth. Suarez torn. 2. in 3. p. Sect. 1. Paulus Barrii cap. 8. cum Gersone, Bernardino de Bustis, & aliis, quos citat Jacobus Reifs in Josephina Elog. 69. & 70. *Probatum primò, argumento S. Pauli ad Hebr. 1. ubi ex dignitate nominis excellentiam Jesu Christi super omnes Angelos concludit, dicens: tanto major Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Ipse enim filius dicitur. Angeli servi Dei appellantur. S. Joseph igitur*

tar Pater dicitur Jesu Christi, neque solum putatio nomine ab illis, qui existimabant eum esse Patrem naturalem, uti Matth. 13. *nonne hic est Fabri filius?* & Joan. 6. *nonne hic est filius Joseph?* sed ut optimè S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangel. cap. 1. advertit. etiam ab illis, qui sciebant ipsum non esse Patrem naturalem, uti B. Virgo dixit Luc. 2. *Pater tuus & ego dolentes querebamus te*, & Evangelista ibidem dicebat: *cum inducerent puerum Jesum Parentes ejus.* Et iterum: *erant Pater, & Mater ejus mirantes super his, qua dicebantur.* Quibus verbis utique vera locuti sunt ex instinctu, & ordinatione Dei, adeoque S. Joseph in aliquo sensu vero est Pater Jesu Christi jure nempe matrimonii, & sic longe præstantius nomen, quod in omni veritate ei convenit, participat, quam S. Joannes & Apostoli, quia hi tantum servi, & amici dicuntur, non veri, & proprii Patres: neque veritas hujus nominis ex sola auctoritate nominantium B. Virginis nempe & Evangelistæ desumitur, sed ex ipsa re, quæ nomini subest, nimirum ex auctoritate paterna, quam S. Joseph habet in Christum, ut filium, unde dicitur: *erat subditus illis* Luc. 2. & ex jure, quo S. Joseph sibi dominium vendicat in corpus virgineum, & inde suo etiam modo in fructum ejus legitime natum, & sic satis evidens est, quod S. Joseph præstantius nomen participet, quam S. Joannes, & Apostoli, & quia nomina divina ordinatione imposita, & attributa rei dignitatem,

& excellentiam insinuant, uti Apostolus dixit Hebr. 1. ideo etiam majoris dignitatis, & excellentiæ est S. Joseph, quam S. Joannes Baptista, & Apostoli.

N. 987. Probatum secundò. S. Joseph aliquo modo fuit caput, & superior B. Virginis, & Christi, ut hominis; nam 1. ad Cor. 11. dicitur: *caput mulieris vir.* Et 1. Petri cap. 3. præcipitur: *ut mulieres subdita sint viris suis* afferendo exemplum Saræ, quæ Abraham obediens, & cum Dominum suum vocabat Gen. cap. 18. vir enim dominium habet in corpus uxoris, ut Paulus ait 1. ad Cor. 7. *mulierem potestatem corporis non habet, sed vir.* Unde S. Josephi superioritas se etiam extendit ad Christum ut hominem tanquam filium Virginis, quia institutis de rerum divisione s. cum in solo dicitur. *Quod in alieno solo nascitur, vel in eo edificatur, sub illius dominium cadit, cujus est solum.* Et si in alicujus horto fons etiam miraculose oriretur, illius esset fons, cujus est hortus, adeoque S. Joseph etiam fructum virgineum sibi appropriat, & quandam superioritatem in illum participat expressam verbis Luc. 2. *erat subditus illis*, & licet Christus hoc non habeat ex debito, cum ex dignitate suæ personæ nemini sit subiectus, voluit tamen liberè usum subjectionis sibi applicare, & Josepho tanquam Patri obedientiam, & honorem deferre, inde instauratur argumentum: S. Joannes Baptista, & Apostoli habent quidem ministeria, & officia excelsa, sed tamen sub Christo, econtra potestas, & ministerium Josephi

sephi etiam super Christum, cujusmodi erat Nominis impositio, *vocabis Nomen ejus Jesum.* Matth. 1. gubernatio familiæ ex commissione Dei, uti erat per monitum Angeli circa fugam in Ægyptum, & reditum ex Ægypto, adeoque dignitas ejus est longè major, quod etiam ex eo confirmatur, quia dignitas B. Virginis est indisputabiliter major, quàm dignitas S. Joannis Baptistæ, & Apostolorum: ergo quia inter virum, & uxorem debet esse proportio dignitatis, erit etiam dignitas S. Josephi major, quàm est dignitas S. Joannis, & Apostolorum.

N. 988. Probatur *tertiò*, specialiter de sanctitate, quia dignitas S. Josephi requirebat sanctitatem proportionatam, hoc ipso enim, quòd fuerit Pater Christi, debebat etiam moraliter talis esse Pater, seu tam sanctus, qualem, & quàm sanctum talis requirebat filius, & talis filii gubernatio: item, quia erat Maritus talis, & tam sanctæ conjugis, debebat habere prorsus eminentem sanctitatem, ut congruè tam sanctæ Conjugi, quæ sine omni prorsus peccato semper fuit, posset præesse; quod ipsum confirmat S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. *quos Deus ad aliquid elegit, ita preparat, & disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei;* præterea S. Joseph habuit longè plura media consequendæ sanctitatis, quàm S. Joannes Baptista, & Apostoli, quia per triginta annos usus est præsentia, sapientia, amore, exemplis Jesu, & Mariæ, in quibus nulla fuit labes, econtrà omnes thesauri divinæ

sapientiæ, & sanctissima exempla: ergo quia nemo sana ratione dicere poterit, quòd S. Joseph his mediis ad sanctitatem non fuerit usus, dicendus est omnium Sanctissimus post Jesum, & Mariam.

N. 989. Objicies *primò*. Matth. 11. expressè dicitur: *Non surrexit major Joanne Baptista:* ergo videtur de fide esse, quod S. Joseph non sit major. *Respondeo primò*. Ex jam dictis à Num. 985. non esse de fide, quod S. Joannes Baptista sit omnibus modis major, quàm quisquam alius, quia utique Christus est major, & Maria Mater Christi, & per consequens potest etiam S. Joseph in suo sensu esse, & dici major, imò Christus Dominus illo loco statim addit limitationem dicens: *qui minor est in Regno celorum, illo major est,* adeoque ex testimonio Christi aliquis potest esse, & est major Joanne Baptista, nempe qui humilitate illum antecedit, qualis potest esse S. Joseph, qui humilitatem opificio suo fabrili, & constanti exemplo Christi semper coluit. *Respondeo secundò*, quod S. Lucas cap. 7. v. 27. solùm dicat: *non surrexit major Propheta,* quia jam in utero Matris Propheta fuit, & Christi præsentiam saltu suo ostendit, deinde Glossa ordinaria addit, non surrexisse majorem austeritate vitæ, quam ab infantia coluit, non tamen dignitate officii, & sanctitate ex gratia sanctificante, & amicitia divina orta, & certè hæc major est in humanitate Christi & B. Virgine, & sic probabilius etiam in S. Josepho.

N. 990. *Objicies secundò.* S. Augustinus opusculi de Assumpt. B. Virg. cap. 4. dicit: B. Virginem fuisse exemptam ab illa lege. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Gen. cap. 3. v. 16. ergo S. Josepho nequit dominium tribui super B. Virginem. *Respondeo primò,* S. Augustinum loc. cit. seipsum explicare, dum ait: *non fuisse sub potestate viri eam, quæ integerimis visceribus de Spiritu S. concepit.* Quod idem est, ac dicere, B. Virginem non fuisse sub potestate viri in actu integerrimæ suæ conceptionis, quæ virtute divina peracta fuit, quo stante tamen manet, quòd B. Virgo tanquam vera conjux sit sub potestate viri S. Josephi quoad jus in corpus, & in fructum ejus miraculosè ex illo natum. *Respondeo secundò,* posse in veritate dici B. Virginem fuisse ab illa lege exemptam, in quantum pœnalis est, quia cum à peccato immunis fuerit, debuit etiam à pœna immunis esse, non obest tamen, quin legi illi fuerit subjecta, in quantum directiva est, & præscribit ordinatam gubernationem domûs, hoc sensu enim B. Virgo erat verè subjecta etiam ex dispositione Dei, quia Angelus Josepho apparuit, & monuit Matth. 2. ut nomen imponeret, Matrem ut conjugem acciperet, item ut fugeret cum Matre, & puero in Ægyptum, & inde iterum rediret.

N. 991. *Objicies tertio.* S. Anselmus in cap. 3. Matth. ait: *majus ministerium non fuit, quàm Apostolorum,* quod etiam confirmat S. Thomas super c. 8.

ad Rom. interpretando illa verba: *nos autem primitias Spiritus habentes.* Et illa ad Ephes. 1. *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in omni sapientia, & prudentia.* Unde etiam 1. ad Cor. 12. dicitur. *Posuit in Ecclesia primùm Apostolos,* qui etiam ad Ephes. 2. *fundamentum Ecclesiæ* dicuntur: ergo Apostoli pluris habendi sunt quàm S. Josephus. *Respondeo,* hæc omnia esse intelligenda respectu Ecclesiæ, seu omnium fidelium, quia in communitate fidelium revera supremus gradus est Apostolicus, & sic inter fideles communiter acceptos non est major dignitas, quàm Apostolorum, sed S. Joseph dignitatem suam habet ex respectu ad Christum, cujus est Pater, & respectu ad Matrem ejus, cujus est Sponsus, sicut ergo Christus, & Mater ejus sunt in majori dignitate, quàm omnes fideles simul sumpti: Ideò dignitas S. Josephi major omninò reputanda est, quàm est dignitas Apostolorum.

N. 992. *Objicies quarto.* Apostoli æquè dici possunt Patres Christi, quàm S. Joseph, quia ordinati sunt ad generandum Christum in mentibus fidelium, & ad procreationem filiorum Dei, ergo ex hoc capite, quod S. Joseph sit Pater Christi, non excedit ejus dignitas Apostolos. *Respondeo:* hanc paternitatem esse spiritualem, & purè allegoricam, quam Apostoli habent respectu Christi, quia Christus non potest dici aliter genitus in mentibus fidelium nisi per fidem in ipsum, sed S. Joseph habet præter paternitatem

tem ex jure proprio matrimonii competentem etiam spiritualem erga Christum in sensu proprio, cum Christum in propria sua Persona, quæ hominem nempe, non quidem ex indigentia ejus, sed ut volentem omnem justitiam implere, spiritualiter instruxerit, & proficere fecerit sapientia, & gratia apud Deum, & homines Luc. 2. hic profectus, qui de fide est, nemini alteri magis tribui potest, quàm Parentibus, quibus volebat esse subditus, & per consequens S. Joseph in sensu longè magis proprio Pater spiritualis est Christi Domini, quàm Apostoli, & sic etiam ex hoc titulo à longè excedit Apostolos, quia semper Christus in proprio præferendus est sibi ipsi, prout allegoricè, & similitudinariè tantùm censetur generari in mentibus fidelium.

ARTICULUS XVII.

Utrum S. Joseph sit Patronus Universalis?

N. 993. **O**bservo, Patrocinium S. Josephi potentissimum esse, colligendum esse ex hucusque dictis, quia cum omnes sanctos excepta Deipara excedat dignitate, & gratia, consequitur necessariò, quòd etiam prævaleat potentia, & patrocinio, cum hoc gradum suum habeat à sanctitate, & gratia, & huic correspondente gloria; quæritur autem hic, utrum S. Joseph habeat patrocinium particulare hoc sensu, quòd in certis tantùm necessitatibus, uti regu-

lariter alii sancti, possit opem ferre, vel utrum sit Patronus universalis, ut in omnibus necessitatibus valeat succurrere? ad quod

N. 994. S. Joseph est Patronus universalis pro omnibus necessitatibus. Ita Carthagena lib. 18. homil. 14. allegans pro se testes omni exceptione majores, nimirum S. Thomam in 4. dist. 45. q. 3. a. 2. ad 2. S. Bernardinum Senensem serm. 12. p. 2. & Eckium homil. 2. de S. Josepho, ipsa etiam S. Theresia universale patrocinium S. Josephi frequenter fuit experta, ut refertur in libro vitæ ejus. Probatur etiam primò ex S. Scriptura, in qua expressè dicitur: *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Ioan. cap. 14. v. 13. Item, *siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* Joan. cap. 16. v. 23. quæ quidem verba primariò in sensu proprio, & litterali intelligenda sunt de Patre æterno, verè tamen etiam intelligi possunt in sensu litterali de S. Josepho, quia ut S. Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 27. notat, omnis sensus ædificativus charitatis & non contrarius contextui fuit provisus à Spiritu Sancto, qualis hic est, quo Christus censetur loqui simul de Patre æterno in cœlis, & de Patre temporali in hac vita, seu de S. Josepho, qui fuit etiam Pater Jesu isque fidelissimus, & charissimus, ut adeò ratio non sit, cur Christus in aliquo ejusdem precibus non deferat.

N. 995. Probatur secundò. Gen. cap. 41. v. 56. dicitur universaliter:

Itc

Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit, facite. Unde etiam Salvator mundi dictus est, à quo omnes adjuvantur, sicut autem hoc de Iosepho Ægypti Prorege dictum est, ita etiam intelligendum est de S. Iosepho Mariæ sponso, & Christi Nutritio, tum quod ille hujus sit figura, figuratum autem semper prævaleat figuræ, tum quod sub hoc dicto *ite ad Ioseph*, uterque Ioseph litteraliter intelligi possit, cum Christus Dominus, si velit nos converti ad unum ex Sanctis pro nostra necessitate, tunc certè nos mittet ad Ioseph, *ite ad Ioseph*, si enim hic major est meritis, ac dignitate omnibus reliquis sanctis, tunc certè minor non erit in potentia, & efficacia patrocinii.

N. 996. Probatur tertio ex paritate mercedis, quam Tobias constituit Raphaëli Tob. 12. Nam dum Tobias Pater diceret: *quid possumus dare viro isti, qui venit tecum?* respondit filius: *Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, & Daemonium ab ea ipse compefcuit, gaudium Parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare? & peto te, Pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.* Ex quo Tobix discursu patet, quod Tobias Pater, & filius largo, & gratissimo affectu beneficia Raphaëlis Archangeli aspexerint, & digna crediderint omni-

bus bonis, quæ reciprocè dare possent: ergo idem videtur sentiendum de Jesu, & Maria circa beneficia à Iosepho sibi adhibita; nam sub Iosepho fama, & existimatio Virginis illæsa mansit, virginitas ejus tutelam habuit, hæc ipsa virgo gravida propter Iosephum à lapidatione Judæorum liberata est, ipsius curâ puer Jesus à tyrannide Herodis ereptus est, quot labores, incommoda propter Virginem, & filium ejus pertulit? in Bethlehem cum ea profectus est, à diversorio exclusus, & ex Bethlehem in Nazareth reduxit, jubente Angelo cum Matre, & filio in Ægyptum fugit, & post septem annos, uti S. Thomas in cap. 2. Matth. advertit, vel saltem duos uti alibi taxemus, cum utroque rediit, in sudore vultus, & labore manuum suarum Virginem Matrem, & Jesum filium per 30. annos aluit, & necessaria eis providit, ob tot ergo, & tanta beneficia Christus, & Mater ejus obstricti esse volent, & non minus quàm Tobias Pater, & filius peroptabunt juxta vires reciproci esse, & sic Christus nihil non faciet, pro quo S. Iosephus intercedet.

N. 997. Probatur quarto. Reliqui sancti, inter quos etiam Angelos, & Seraphinos reputo, postulant à Christo Domino deprecatoriè tanquam servi, Ioseph autem auctoritate quodammodo tanquam Pater illius, sicut enim Christus adhuc in terris degens ipsi ad nutum obedivit, ita in cælis acceptæ ab eo beneficentiæ minimè immemor ad nutum eidem tanquam Patri filiali affectu

fectu obsecundabit, cum hunc affectum, quem ab infantia concepit, nunquam deposuerit: ergo Christus Dominus nihil recusabit, quidcumque petierit, & sic merito nuncupandus est Patronus, & Intercessor universalis in omnibus necessitatibus, in quibus ad ipsum recurremus.

N. 998. *Objicies primò.* Est fide divina credendum, quod Apostolus 1. ad Cor. 12. dicit, quod Deus sua dona disperferit, & non uni omnia dederit, sic enim expressè dicitur: *alii quidem per spiritum datur sermo sapientie, alii sermo scientie secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, & postea v. 30. nunquid omnes gratiam habent curationum?* ergo S. Josephus nequit statim dici Patronus universalis pro quacunque necessitate. *Respondeo primò,* hoc dici de Ecclesia militante in terris, non triumphante in caelis, esse autem in hac differentiam, patet ex variis Sanctis; qui dum morati sunt in hac vita, nullum miraculum fecerunt, ut nullum legitur de S. Joanne Baptista, nec constat B. Virginem mira illa fecisse, quæ nunc facit in caelis, adeoque dispar est ratio circa utramque Ecclesiam. *Respondeo secundò,* non esse regulam à reliquis Sanctis faciendam in ordine ad S. Josephum, quia ut dictum, illi habent modum intercedendi deprecatorium tanquam servi, S. Josephum auctoritativum tanquam Pa-

Pater, & quia iste simul omnes alios sanctos dignitate, & sanctitate antecedit, etiam in meritis suis, & efficacia intercessionis prævalet.

N. 999. *Objicies secundò.* S. Augustinus in 1. ad Cor. cap. 12. ait: *nec in omnibus memoriis sanctorum Deus miracula fieri voluit, quia dividit unicuique, prout vult.* Ergo vis operandi, & conferendi beneficia in Sanctis limitata est, ut non possint omnia patrocinio suo impetrare. *Respondeo primò,* S. Augustinum velle, quod non singuli ex Divis, & Sanctis in caelo omnia possint, sed quod Deus diviserit dona sua unicuique, prout vult, quæ regula tamen exceptionem habet in B. Virgine, quia quæ Deus imperiis, hæc prece virgo potest, ita & in S. Josepho, qui Deiparæ Virgini sponsæ suæ est proximus. *Respondeo secundò* textum S. Augustini etiam hunc habere sensum, quod Deus non in omnibus memoriis Sanctorum etiam ipsius B. Virginis, vel S. Josephi, imò neque Christi miracula faciat, sed quando vult, vult autem tunc, quando ea profutura videt ad salutem nostram æternam, neque ipsi etiam Sancti aliter intercedendo petunt miracula, vel beneficia pro nobis, nisi in quantum ea vident nobis utilia ad salutem, & inde conformia divinæ voluntati, in ordine ergo ad ea, quæ nobis verè salutaria sunt, dicimus B. Virginem, & S. Josephum omnia posse.